MELETEMATA IGNATIANA

CRITICA DE EPISTOLARUM IGNATIANARUM VERSIONE SYRIACA

COMMENTATIO

QUAM SCRIPSIT

ADALBERT MERX,
DR. PHIL.

HALAE SAXONUM
IN COMM. APUD E. A. ANTON.
MDCCCLXI.

VIRIS

SUMME VENERANDIS ET ILLUSTRISSIMIS

PROFESSORIBUS

FRANCISCO DIETRICH,

MARBURGENSI,

AEMILIO ROEDIGER,

BEROLINENSI,

CAROLO STEINHART,

PORTENSI,

PRAECEPTORIBUS DE SE MERITISSIMIS

HOCCE OPUSCULUM

PII GRATIQUE ANIMI SIGNUM ESSE

VOLUIT

SCRIPTOR.

PROOEMIUM.

Doctrinas et instituta ecclesiae primaeve perquirere ejusque historiam conscribere nostro tempore theologi quidam ac philosophi ita instituerunt, ut eorum via et ratio nova ac paene inaudita a ceteris sit habita. Quo facto, quum lis maxima inter viros doctos sit exorta iterum iterumque ad fontes descendere coacti maximum librorum numerum composuerunt, quorum haud pauci et ad epistolas Ingnatianas pertinent, quippe quae doctrinas gravissimas tradentes non minimum inter veteris ecclesiae monumenta obtinent locum. Sed viris illis argumentum potius cordi erat quam forma, quum de authentia potius et de tempore quo essent hae epistolae conscriptae agerent quam de variarum recensionum inter sese ratione; itaque factum est, ut hanc quaestionem obiter tantum tetigerint. Quaestio, quae est de authentia, non est nova[1]), tamen nostro tempore aliâ formâ est repetita, quum recensio syriaca a Curetono reperta novam epistolarum exhibeat for-

[1]) Cf. Cureton Corpus Ignatianum p. XVI. sq.

mam a graecis exemplaribus recedentem. Quae de hac recensione inter viros doctos sint acta Lipsius refert[1]) sed et illi quos affert viri non seorsim de textibus egerunt, id quod primus fecit Lipsius ipse in libro laudato. Sed ne hoc quidem libro, licet non sine acumine conscripto, quaestionem ad finem perductam esse concedere possumus, itaque quum res sit gravissima non inutile visum est etiam post Lipsium inquirere in naturam diversarum recensionum, qua in re, si quid invenerimus quod viris doctis comprobabitur, gratum erit ac satis magnum laboris praemium. Sed antequam rem ipsam aggredimur paucis repetere juvabit, quae de variis textibus sunt monenda.

Duae exstant epistolarum Ignatianarum recensiones graecae, major et minor, utriusque vero textus haud paucis locis est dubius. Recensionem longiorem unus Meierus Giessensis[2]) defendit, nemo vero ejus sententiae est astipulatus, ita ut ab omnibus brevior recensio antiquior sit habita. Omnino duodecim epistolae Ignatii nomine sunt inscriptae, quarum quinque ad Mariam Cassobolitam, Tarsenses, Philippenses, Antiochenos, Heronem eam ob causam, ab omnibus spuriae habentur, quod ab Eusebio non enumerantur. Septem reliquae, quas Eusebius laudat, ad Magnesios, Trallianos, Smyrnaeos, Philadelphenos, Polycarpum, Ephesios, Romanos, etsi saepe in dubium vocatae, semper ab aliis sunt defensae. Tres ultimae, in codicibus Londinensibus syriace inventae, et qui-

[1]) Lipsius, Ueber das Verhältniss des Textes der drei syrischen Briefe des Ignatius zu den übrigen Recensionen der Ignt. Litteratur. Leipzig 1859. p. 1 sqq.

[2]) Studien und Kritiken 1836, 2, 340.

dem brevi forma, rejectis ceteris omnibus, genuinae habentur a Curetono, Bunsenio denique Lipsio, contra quos, ut iis accidere solet, qui locum medium occupant, ab utraque parte bellum est motum; nam quod has tres epistolas servent Cl. Baurius Tubingensis Bunsenium est aggressus, quod vero ceteras epistolas respuant Uhlhorn, Denzinger, Hefele al. ab eorum sententia recedunt et contra eos in arenam descenderunt.

Quae quum ita sint, nos ut cuique suum tribuamus, eam secuturi sumus rationem, ut primum argumentum et formam earum epistolarum, quas syriace non habemus, cum iis conferamus, quarum versio syriaca exstat. Deinde vero ipsius syriacae versionis natura erit investiganda et ratio definienda, quae inter eam et textum graecum intercedat, qua in re fragmenta syriaca non sunt negligenda. Denique Syrus ipse est introspiciendus et quaeritur, num tot locis omissis connexum bonum servaverit. Ubi de Syro agimus praeter recensiones graecas et versione armeniaca utemur, quae tredecim continet epistolas[1]), quam ex nostro Syro confectam Petermannus[2]) contendit. Nos linguae ignari viri summi auctoritati libenter cedentes alius tantum armeniacae linguae periti afferimus judicium[3]), qui dicit, hujus versionis stylum ipsis Armeniis aenigma fuisse, donec a Petermanno demonstratum sit, hanc versionem ex lingua semitica originem duxisse. De recensione graeca longiore disserere non necessarium putamus, quum ad

[1]) Decima tertia est epistola Mariae Cassobolitae ad Ignatium.

[2]) Petermann S. Ignatii Patris Apostolici quae feruntur Epistolae. Lipsiae 1849.

[3]) P. Jos. Kalergi Mechitarista Viennensis in Scheiner Zeitschrift für kath. Theologie. 1852. p. 319.

unum omnes eam spuriam habeant; quum vero textus recensionis minoris multis locis sit corruptus, aliquando quaerendum erit an longior lectionem meliorem exhibeat, quod jam eam ob causam multis locis veri speciem habet, quod Syrus, Armenius, Graecus major contra Graecum minorem convenientes eandem lectionem sequuntur.

Caput primum.

Argumentum et forma epistolarum graecarum.

Duplex est res, propter quam doctrina epistolarum Ignatianarum memoratu videtur dignissima, nam quum in ceteris qui dicuntur patrum apostolicorum libris de regimine ecclesiastico et de Christo tanquam logo nihil fere exstet, hisce in opusculis adeo in hoc argumento versatur scriptor, ut nihil nisi hoc continere videantur.

Quod primum adtinet ad christologiam earum epistolarum, quas graece tantum habemus, Deus, qui est unus, per Jesum Christum filium, qui ante omnia saecula apud patrem fuit Mgn. 6, qui est logos invisibilis, qui omnibus rebus patri bene placuit Mgn. 8, neque quidquam sine patre fecit Mgn. 7 quum tempus repletum esset sese manifestavit. Christus apparuit in mundo, ut deum revelaret, vere est natus, vere passus, vere resurrexit a mortuis. Mgn. 8, 9, Smr. 1—8, Trl. 10. Oriundus est Jesus e stirpe David, natus e virgine, baptizatus a Johanne, ut omnis justitia impleretur Mth. 3, 15, deinde sub Pontio Pilato et Herode tetrarcha crucifixus est pro nobis in carne, quod non *κατὰ τὸ δοκεῖν,* sed re vera est factum Smrn. 1—2. Quod ut eo magis defendat a Docetis, addit Tr. 9 Christum vere edisse ac bibisse et crucifixum esse coram coelestibus, terrestribus, infernalibus, immo ab ipso scriptore post resurrectionem visum esse ac creditum Sm. 3. Christum non dicere *σαρκοφόρον* maxima est blasphemia Sm. 5. De Christo jam prophetae sunt vaticinati Mgn. 8, qui jam

κατὰ χριστὸν vixerunt, et aeque atque ipse ab Israelitis multa mala sunt passi Jesu spiritu inflati Phil. 5[1]). Novum est fermentum et novum initium, cujus qui nomen non invocat, non est Dei, Mgn. 10. Per ejus mortem nova nobis data est vita, et quemadmodum Christum resuscitavit pater Mgn. 11, sic et nos resuscitabit, quando in Christum credimus. Tr. 9.

De regimine ecclesiastico epistolae haec docent: Episco pus, a Christo et Deo ipso institutus, Phild. 1 est caput ecclesiae ut deus mundi, eique obediendum est ut Christus (Sm. 8) patri obedivit. Ubi episcopus apparet, ibi multitudo debet esse, sicuti ubi est Christus, ibi ecclesia catholica. Sine episcopo neque eucharistiam celebrare nec baptizare licet[2]), quae ille comprobavit, ea deus probat, nihil omnino sine episcopo est agendum Sm. 8. Deum et episcopum decet honorare, qui episcopum honorat, a Deo honoratur, qui clam episcopo aliquid instituit, Satanae est servus Sm. 9, Tr. 2, 3, Mgn. 4, 6, 7. Qui episcopo obtemperat ut Christo, non secundum hominem sed secundum Christum vivit. Nemo abutatur episcopi adolescentia Mgn. 3, sed illi cedat, non autem illi sed, Deo Mgn. 2, Phil. 6; coram episcopo et presbyteris et poenitentia est instituenda. Phil. 8. Juxta episcopum sunt presbyteri Mgn. 2, 7, Trl. 3, qui in loco apostolorum sunt, praeter quos et diaconi munere ecclesiastico funguntur, qui sacram coenam adornant Trl. 2. Vel diaconissas fuisse e loco Smr. 13 recte conjicias, ubi verba *αἱ παρθένοι αἱ λεγόμεναι χῆραι* hanc opinionem luculenter innuunt (cf. viduatae Tert. de vrgn. vel. 9). Episcopi, presbyteri, diaconi distincte enumerantur Smr. 12, Tr. 2, ita ut de eorum discrimine in epistolis his statuto dubium esse non possit.

Praeterea multus est scriptor in monendo, ut unitas ecclesiae servetur; omnia in summa ecclesiae concordia sunt gerenda, immo ecclesiae notio diserte proponitur Tr. 8, denique haeretici et schismatici ut bestiae sunt vitandi, et aperte tanquam diversi distinguuntur Phil. 3 *ἑτεροδιδασκαλοῦντες καὶ σχίζοντες*.

---

[1]) Sic et in novo testamento act. 28, 25, Hebr. 3, 7; 9, 8.

[2]) Cf. Tertull. de bapt. 17.

Jam si quis quam harum epistolarum proposuimus doctrinam accuratius contemplatur, non negabit eam etsi antiquissimo tempore ita compositam tamen ab apostolorum aetate esse alienam. Nam adsunt jam vestigia ejus rationis, quam ecclesia est secuta quum symbola definiret, secundum quam formulae baptismatis verba quaedam solebant addi, quibus recta doctrina ab haereticis opinionibus defendatur. Quod Tertullianus de catechumenis suae aetatis dicit, quos constat „in baptismo amplius aliquid respondisse, quam quod dominus in evangelio praecepisset" [1]), jam Ignatii tempore viguisse debet. Primum enim castigat Docetas, vere dicens Christum natum, passum, crucifixum esse, vere edisse ac bibisse, quod qui neget morte aeterna dignum esse. Horum haeresis in antiqua ecclesia non fuit rara, itaque certius eorum tempus definiri nequit, quum et reliqua, quae de iis addit Sm. 6, viduas illos et orphanos non curare, neque omnino homines infelices juvare, usitatissima haereticorum in vetere ecclesia sint opprobria, quemadmodum Pearsonius et Bunsenius p. 159 docent[2]). Eucharistia et precibus abstinent, quod non concedunt, sacram coenam corpus et sanguinem Christi esse. Tamen haec omnia ad gnosticos pertinere probabile est, praesertim quum et locus Mgn. 8 *λόγος ἀΐδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών* vix explicari possit, nisi ad gnosticam quandam doctrinam redimus; nam quod adtinet ad Pearsonii, Cotelerii, Rothii interpretationem, secundum quam *σιγή* proprio sensu silentii ita sit adhibita, ut intelligendum sit, non e silentio verbum processisse, nempe non silentium ante verbum fuisse quod sempiternum esset, non probanda videtur, quum verba haec tum nihil contineant, nisi lusum inanem[3]). Ad Valentinianos vero haec verba eam ob causam non referimus, quod tantae haereseos mentio disertius facta esse deberet, et quod a veri specie abest, scriptorem Judaistas impugnantem tam leviter oppositam

---

[1]) Tertull. de corona milit. cap. III.

[2]) Bunsen, Die drei echten und die vier unechten Briefe des Ignatius von Antiochien. Hamburg 1847. — Ignatius von Antiochien und seine Zeit. Sieben Sendschreiben an Dr. August Neander. Hamb. 1847.

[3]) Cf. Uhlhorn in Niedner, Ztschft. 1851. p. 299.

haeresin rejecisse. Albertini igitur sententiae Curet. p. LXI non astipulamur. Bunsenius inde collegit hanc epistolam esse spuriam, quod Irenaeus Valentinum impugnans hunc locum non laudarit (Ignt. von Ant. p. 16), quum idem locos ex epistolis syriace exstantibus attulerit. At quis huic e silentio argumento cedet? Quod Curetonius p. LXIV censet, interpolatorem errorem nimis apertum emendasse, vix concedi potest, interpolator enim ipse textui suo maxima vitia intrusit, e. g. Petrum et Paulum contendit matrimonia iniisse, Phld. 4 long. rec. eos vituperat qui docent, deum logum in corpore humano habitasse neque in anima, quae Origenis demum fuit doctrina [1]), al. His omnibus bene perpensis non possumus, quin contendamus, Docetas gnosticos a scriptore castigari.

Altera, quam scriptor impugnat Judaistarum est haeresis, contra quos eo imprimis nititur argumento, quod jam prophetae Jesu spiritu inflati, vitam christianam degerint, et quod hanc ob causam absurdum sit, Jesum dicere Messiam simulque judaizare, Mgn. 8—10, Phild. 6, nam legem mosaicam secuti confitemur, gratiam nos non accepisse. Uti Docetae sic neque Judaistae certius definiri possunt, iidem fuisse possunt, de quibus in novo testamento agitur Gal. 2, 4, 14; Tit. 1, 14; error eorum in eo positus erat, quod legem observabant et quaedam de Christo tradita credere recusabant. Illud scriptor dicit *σαββατίζειν*, quod non ad celebranda sabbata loco diei dominicae tantum est referendum, sed ad universum rituum usum, quum huic verbo opponatur *κατὰ κυριακὴν ζωὴν ζῶντες* Mgn. 9; haec sunt dubia, quae Judaistae contra Chri-

[1]) Phild. 6 long. rec. Origen. De princip. II, 6, 3: Hac ergo substantia animae inter Deum carnemque mediante (non enim possibile erat, Dei naturam corpori sine mediatore misceri) nascitur — Deus homo, illa substantia media existente, cui utique contra naturam non erat, corpus assumere. Sed neque rursus anima illa, utpote substantia rationabilis, contra naturam habuit, capere deum. — Ariano similis ei opinio tribuitur quam interpolator damnat cf. Athanasius contra Apollinarem II, 3: *Ἄρειος — σάρκα μόνην πρὸς ἀποκρυφὴν τῆς θεότητος ὁμολογεῖ· ἀντὶ δὲ τοῦ ἔσωθεν ἐν ἡμῖν ἀνθρώπου, τουτέστι τῆς ψυχῆς, τὸν λόγον ἐν τῇ σαρκὶ γεγονέναι, τὴν τοῦ πάθους νόησιν καὶ τὴν ἐξ ᾅδου ἀνάστασιν τῇ θεότητι προσάγειν τολμῶν.* Cf. Epiphan. haer. LXIX, 19.

sti generationem et contra inhabitationem logi moverunt, dicentes Christum hominem ex hominibus fuisse[1]).

Sed quamvis sectarum nomina non distincte dici possint, tamen hoc ex his indiciis sine dubio colligi debet: Hae definitiones christologicae proponi non potuerunt, nisi tempore, quo tres maximae in ecclesia fuerunt factiones, prima docetica gnostica, secunda ebionitica, tertia quae deinde orthodoxa est facta, quam scriptor noster utrique parti opponit. Quae si ita se habent, facile intelligitur, cur scriptor tam diligenter unitatem et concordiam suadeat, et obedientiam episcopis praestandam. Priore enim tempore ea quae Ignatius commendat in regimine ecclesiastico nondum locum habent, nam in novo testamento episcoporum et presbyterorum eadem est dignitas cf. act. 20, 17 cl. vs. 28, Phil. 1, 1, Tit. 1, 5 cl. vs. 7, 1 Tim. 3, 8, 1, vel in epistola Clementis Romani non ea de ecclesia deque ecclesiasticis officiis exstat opinio, quam in epp. Ignt. habemus. Habent enim presbyteri eandem auctoritatem, quam episcopi, illis enim seditiosi illi homines sese debent subjicere, non uni episcopo Cl. ad Cor. 57 et eliguntur episcopi acclamante toto coetu christiano (*συνευδοκησάσης πάσης τῆς ἐκκλησίας*), immo lites de eorum dignitate[2]) existere poterant c. 44, quod vix factum esset, si episcopi in loco dei fuissent. Insequenti vero tempore, quo haeresis re vera periculosa coepit esse, concordia et unitate opus erat, ut ecclesia a malis et perversis haereticorum placitis liberaretur. Haud parvum temporis spatium inter Clementis et nostri scriptoris aetatem intercessisse videtur, quum non statim ea catholicorum in haereticos potuerit esse ira, non ea episcoporum aucto-

---

[1]) Just. dial. c. Tryph. 48: *Καὶ γὰρ εἰσί τινες — ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου γένους* (i. e. Christiani) *ὁμολογοῦντες αὐτὸν Χριστὸν εἶναι, ἄνθρωπον δὲ ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον ἀποφαινόμενοι.* Ib. c. 49: *Πάντες ἡμεῖς τὸν Χρ. ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων προςδοκῶμεν γενήσεσθαι.* Iren. adv. haeres. I, 26, 1: Cerinthus Jesum subjecit non ex virgine natum, fuisse autem eum Joseph et Mariae filium et plus potuisse justitia et prudentia et sapientia ab hominibus, et post baptismum descendisse in eum Christum. Sic et Ignt. ad Phild. 8: *Ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχαίοις εὕρω τῷ εὐαγγελίῳ οὐ πιστεύω*, i. e. si in Vet. Test. non invenio.

[2]) Sic enim *ὄνομα* est explicandum, idem est quod *ἀξίωμα*, quum de nomine contentiones non potuerint esse.

ritas, non id totius ecclesiae periculum, quantum epistolae nostrae proponunt, quae Cypriani potius animum sapiunt, quam viri apostolici simplicitatem. Non enim brevi tempore nec jussu quodam, sed usu potius instituta ecclesiastica auctoritatem videntur accepisse et pretium. Quae inde de authentia sint colligenda, theologis relinquimus, quum de ea non disseramus, nostra nihil interest, nisi ante oculos ponere, quae hisce in epistolis vere legantur.

Jam vero procedendum nobis est ad eas epistolas, quarum habemus versionem syriacam. Quod primum adtinet ad christologiam, Christus nominatur deus in inscriptione ep. ad Eph. ubi utrum Syrus nomen dei referat ad patrem an ad filium dubium est, tamen et Syrus in exitu ep. ad Rom. Christum dicit deum. Hic Christus est carnalis et spiritalis, genitus et nongenitus, ἐν σαρκὶ γενόμενος θεός, immortali vera vita praeditus, e virgine Maria natus, primum passibilis deinde impassibilis. Haec doctrina Eph. 7 opponitur haereticorum opinionibus, canibus rabidis, latenter mordentibus. Ii quibus hanc doctrinam opponit unam tantum Christi naturam accipiebant, ejusque generationem supranaturalem negabant, erant igitur Judaistae; verba haec vero „passibilis deinde impassibilis" non nisi ad gnosticos Docetas possunt referri; habemus igitur easdem haereticas factiones, contra quas scriptor earum epistolarum pugnavit, de quibus supra verba fecimus. Eandem christologiam docet locus ad Eph. 18, et quod hic textus graecus, suadet Syrus ad Polycarpum 3, ubi Christus dicitur supra tempus elatus, intemporalis, invisibilis, qui nostra causa visibilis est factus, impalpabilis qui nostra causa est passus, qui omni modo propter nos sustinuit. In epistola ad Rom. talia non leguntur, verum ea non in rebus dogmaticis versatur. Eadem igitur christologia et his epistolis, vel textui syriaco inest, quam supra deprehendimus.

Deinde quod attinet ad episcoporum statum, jam primo ad Eph. capite ut ecclesia cum episcopo in concordia sit monet, deinde cap. 2 episcopo et presbyteris obediendum esse dicit (pro ἐπιτασσόμενοι enim ὑποτασσόμενοι est legendum); neque aliud suadet cap. 3—5, imo episcopum ut deum habendum esse addit Eph. 6 cf. 20. Monet et Polycarpum, ut

concordiam ecclesiae servet, neque eum terrefieri vult pravis doctrinis cap. 3 syr. Ubi de castitate loquitur, omnem gloriationem ita vetat, ut dicat, perditum eum esse, qui castitatem servare velit, quum praeter episcopum et alii homines hoc sciant. Conjugia quoque sine episcopi voluntate non esse instituenda contendit. Pol. 5 syr.

Sicuti hucusque inter epistolas quas graece tantum et inter eas, quas et syriace habemus, discrimen non invenimus, sic et aliis in doctrinis bene convenientes hae epistolae eundem scriptorem idemque tempus produnt. Sic, quamvis spiritus sanctus saepe commemoretur, quo impellente Phild. 4. Ignatius ecclesiae concordiam suadet, accuratior tamen trinitatis notio non deprehenditur; formula quae legitur Mgn. 13 non videtur genuina. Simili modo et Eph. 9, ubi Christiani sunt lapides ad exstruendum templum Dei patris, machina Jesus Christus, funis spiritus sanctus, fides dux, caritas via, trinitatem dogmatice definitam nondum habemus, quum de relatione interna trium divinarum personarum nihil dicatur. Neque hoc est mirum, quum scriptores ecclesiastici antiquiores hanc rem intactam reliquerint, quae neque in symbolo Nicaeno est definita. Deinde eucharistiam dicit corpus et sanguinem domini, qui pro peccatis nostris sit passus, Sm. 7; una eucharistia est utendum ut ecclesia semper sit una Phild. 4, et qui non intra altare est caret pane Dei. Eph. 5. Est autem sacra coena medicina sive arrhabo immortalitatis. Sm. 8. Sine episcopo non est instituenda, id quod et in baptisma cadit, in quo Christianorum arma posita sunt. Pol. 6. De parusia in his epistolis nihil exstat, nam qui huc trahi possunt loci Mg. 15, Phild. 9, Eph. 11 non ad rem pertinent, uno enim loco παρουσία est incarnatio, aliis duobus de tempore ejus nihil dicitur, de quo alibi tam absurda sunt ficta. Neque est cur miremur, vir enim qui ecclesiam ita vult munire ac defendere, opus inutile moliretur, si proximo tempore coelum cum universa terra consummatum iri crederet. Certaminibus gravissimis contra illius temporis haereticos jam eo producta erat ecclesia, ut ad res agendas potius quam ad mysticam contemplationem sese accingeret. De angelis denique et daemonibus haud pauca scit Ignatius, quae nobiscum non vult

communicare, ne damno afficiamur Trl. 5, ipsum vero revelationes accepisse colligitur locis Eph. 20, Phild. 7, Sm. 3.

Haec fere de argumento erant dicenda, vidimus eandem doctrinam omnibus inesse epistolis, easdem haereses ab omnibus impugnari[1]), eodem modo in omnibus contra haereticos episcopatum commendari. Qui igitur eas, quas graece tantum habemus spurias habent, etiam eas, quas et syriace habemus, non possunt bene defendere, quum quantum fieri potuit jam demonstratum sit, inter doctrinam textus syriaci et graeci discrimen non inesse. Utuntur defensores Syri argumento e silentio, at ejus vis per se haud magna minuitur etiam Polycarpi testimonio. Nam quum contendant, Irenaeum et Origenem, qui locos syriace exstantes tantum laudarint, graecas epistolas nondum habuisse, Polycarpi locum negligunt. Locus est hic: „Scripsistis mihi et vos et Ignatius, ut si quis vadit ad Syriam, deferat literas meas, quas fecero ad vos, si habuerimus tempus opportunum, sive ego, seu legatus quem misero pro vobis. Epistolas sane Ignatii, quae transmissae sunt vobis (gr. ἡμῖν) et alias quantascunque apud nos habuimus, transmisimus vobis, secundum quod mandastis, quae sunt subjectae huic epistolae: ex quibus magnus vobis erit profectus . . .“[2]). Lipsius quidem, quamvis concedat pluralem ἐπιστολάς facillime ad Ignatii epistolas ad Polycarpum et ad Smyrnaeos referri, tamen hoc testimonium, quo una certe epistola, quae syriace non exstat, defenditur prorsus rejicit[3]). Primum enim dicit, vix statim post Ignatii mortem ejus epistolas esse collectas, deinde quoque contendit, Polycarpi verbis innui, singulas ecclesias illo tempore certos nuntios sibi invicem misisse, quod ab illius temporis simplicitate abhorreat[4]). Quod primo loco dicit libenter concedimus; at Polycarpi epistola non sta-

---

[1]) In epp. syriacis unam tantum haeresin impugnari cum aliis et Lipsius contendit. Niedner, Ztschft. für hist. theol. 1856, 1, p. 36. Ibid. 1851, p. 291.

[2]) Polyc. ad Philipp. 13. Textus graecus apud Eusebium H. E. 3, 36: τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ.

[3]) Lipsius, Ueber das Verhältn. der drei syr. Briefe etc. p. 12.

[4]) Ib. p. 13: Dies setzt ein vollständig organisirtes Brief- und Botensystem voraus.

tim post Ignatii mortem est scripta, quinquaginta anni inter utriusque viri mortem intersunt, quum Polycarpus ao. 167 diem supremum obierit, deinde quoque Polycarpi epistola potest esse spuria (cf. Hilgenfeld, Die apostolischen Väter. Halle 1853), quo facto hoc spatium etiam augetur. Irenaeus vero (III, 3) et Eusebius H. E. 4, 14 hanc epistolam noverunt, quorum alter et locum nostrum exscripsit, exeunte igitur saeculo secundo testimonium habemus, quo epistolam ad Smyrnaeos illo tempore notam fuisse comprobatur. Illo vero tempore versio syriaca, ut postea videbimus, nondum erat composita, quodsi autem epistola ad Smyrnaeos aderat, etiam ceterae tres ad Magnesios, Trallianos, Philadelphenos adfuisse magnam veri speciem habet; itaque septem epistolas habemus antequam versio syriaca est confecta, quam tres tantum eam ob causam continere, quod auctor ceteras spurias habuerit, nullo modo potest demonstrari. Bunsenius enim, qui ex subscriptione codicis syriaci ܫܠܡ ܐܓܪ̈ܬܐ ܬܠܬ ܕܐܝܓܢܛܝܘܣ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܗܘ quam vertit: Zu Ende sind die drei Briefe, hoc demonstrare conatus est erravit, usum status absoluti negligens, Hoffmann, gram. syr. § 109. Quod vero ad alteram rem, propter quam Lipsius Polycarpi testimonium respuit, nolumus redire ad Persarum ἀγγάρους Herodt. 8, 98, Xenoph. Cyrop. 8, 6, 17, minime enim Polycarpi verba commercium regulare postulant, qui ipse dicit: ἐάν τις ἀπέρχηται εἰς Συρίαν, sed non solum novi foederis epistolis ipsis comprobatur, singulas ecclesias arctissime inter se fuisse conjunctas, verum etiam celerrima librorum novi testamenti per omnes terras dispersio plane intelligi nequit, nisi accipimus frequentissimum illius temporis Christianos inter sese habuisse commercium. Quodsi re vera Polycarpi locus ex capitibus a Lipsio allatis (Pol. 8, Sm. 11) originem duxit, id quod concedi potest, tamen quum etiam falsarius vix aliquid, quod a sui temporis usu abhorreat, scribere audeat, ipsa Polycarpi verba tale commercium fuisse nos docent.

Restat denique, ut addamus pauca de stylo epistolarum, nam sicut in argumento sibi sunt simillimae, sic et usus phrasium ac verborum omnibus est unus, isque quamvis novo testamento similis, tamen est peculiaris. Sed ut simus breves,

phrases et verba tantum afferamus, quae scriptor admodum in deliciis videtur habuisse. Sic saepissime adhibet *ἀπαρτίζω* = *ἀποτελεῖν*, vel vocem perraram *ἀπάρτισμα* habet Phild. 9; imprimis amat *ἄξιος*, *ἀξιόω* cum compositis: *ἀξιόθεος*, *ἀξιοπρεπής*, *ἀξιοπλόκος*, *ἀξιόπιστος*, *ἀξιαγάπητος*, *ἀξιοθαύμαστος*, *ἀξιονόμαστος*, *ἀξιομακάριστος*, *ἀξιέπαινος*, *ἀξιομνημόνευτος*, *ἀξιεπίτευκτος*, Mgn. 2, 13, 14, Tr. inscr. 12, Phild. 2, 5, Sm. 12, Pol. 3, Eph. 4, 12, Rom. inscr. 1, 10. Vox rara *ὁμοήθεια* bis legitur Pol. 1, Mgn. 6; *ὁμόνοια* exstat Mgn. 15, Phild. inscr. 11, Eph. 4, 13, utrumque verbum in novo testamento non est. *Ἀδιάκριτος*, in novo testamento nunquam, apud Ignt. invenitur Mgn. 15, Trl. 1, Phild. inscr., Eph. 3; *οὐ ὀναίμην* in N. T. Philem. 20, deprehenditur Mgn. 2, 12, Pol. 1; *οὐ διατάσσομαι ὡς ὤν τις* Eph. 3, cf. Tr. 3, Rom. 4, *διάταγμα* Tr. 7; *ἑτεροδοξία* in N. T. non est, Sm. 6, Mgn. 8; *ἀντίψυχος* in N. T. nusquam Sm. 10, Pol. 2, Eph. 21, Pol. 6; in N. T. semel legitur *περίψημα* 1 Cor. 4, 13 cf. Ignt. Eph. 18, 8. Pro *ζωή* solet scribere *τὸ ζῆν* Sm. 4, Mgn. 1, 5, Eph. 3, Tr. 9; phrasis *ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἀγάπη* exstat Sm. 12, Tr. 13, Phild. 11, Rom. 9; *ἀγαπητὸν*, *ποθητὸν ὄνομα* Eph. 1, Tr. 8, Rom. 10; haeresin dicit *κακὴν* sive *ἀλλοτρίαν βοτάνην* Tr. 6, 11, Phild. 3, *διαβόλου βοτάνην* Eph. 10; de Docetis bis dicit *αὐτοὶ τὸ δοκεῖν ὄντες* Tr. 10, Sm. 5; de cithara sumit imaginem Phild. 1, Eph. 4; composita cum *θεὸς*: *θεοπρεπής* Mgn. 1, Sm. 12, Pol. 7, *θεομακαρίστατε* Pol. 7; *θεοπρεσβύτης* Sm. 11, *θεόδρομος* Phild. 2, Pol. 7. Sed haec sufficiant, verba tantum latina etiam enumerentur, *ἐξεμπλάριον* Tr. 3, Eph. 2, *ὀψώνια*, *δεσέρτωρ*, *δεπόσιτα*, *ἄκκεπτα* Pol. 6, *καλανδῶν* Rom. 10.

Curetonus p. LIV contendit iis locis, qui syriace quoque exstarent, inesse aramaismos, sed hoc et in alia capita cadit, quae syriace non leguntur, scriptor enim libros novi testamenti legens eorum proprietatis est imitatus. Denique ii, quos affert, aramaismi, usum *α* privativi, composita cum *ἄξιος* formata non magnum habent pondus; prorsus vero errat, quum graecum *ἄμωμος* ad syriacum sive hebraeum מום cum *α* privativo reducat, pertinet enim ad radicem eam unde *μῶμος*, *μωμάομαι* et alia descenderunt. Unum igitur omnibus his in epistolis habemus genus dicendi sicut unam doctrinam, non igitur cau-

sam invenimus, qua authentia Syri commendetur, tamen quum ejus defensores omnem lapidem moverint, ut rem suam muniant, non possumus quin quaeramus, quomodo Graeci adversarii Syri praestantiam demonstrare sint conati. Defensores primarii sunt Curetonus et Lipsius, Bunsenii, qui textum originalem restituisse sibi videtur rationem habebimus, ubi de nexu Syri interno agemus. Curetoni igitur et Lipsii vestigia nunc nobis sunt premenda, quo facto demum eo procedere possumus, ut in ipsam versionis syriacae naturam inquiramus.

Caput secundum.

Quomodo recensio syriaca sit defensa.

Primus authentiae assertor exstitit Curetonus, cujus ratio nunc nobis est investiganda. Incipit (Introduction p. XXXIV) eo quod quaerit, utrum a Syro graeci textus partes sint omissae, an Graecus textum eum, quem Syrus habuerit interpolaverit. Omissionis causam dicit non esse, quum doctrinas textus graeci Syrus non respuerit, qui aliis locis easdem proponat, itaque non sine specie veritatis colligendum esse, Syrum non singula capita omisisse sed Graecum ea addidisse. At tota haec argumentatio ad rem non pertinet, nostra enim non interest causam cognovisse, cur Syrus ita egerit, sed id tantum curamus, num omnino locos omiserit. Quis enim est, qui neget rem esse factam, quum causam non intelligat? Haec est praeoccupatio lectoris. Nos supra jam demonstravimus doctrinam eandem omnibus epistolis exhiberi. Ab altera vero parte (p. XXXIX) probabile Curetono videtur, virum episcoporum auctoritatem corroborare cupientem Ignatio, summae dignitatis viro, locos supposuisse. At hoc omnino non opus erat, quodsi scriptis genuinis haec doctrina commendabatur, falsarius rem intactam poterat relinquere. Sicut Syrus in doctrina non habuit causam locos elidendi sic Graecus non inserendi. P. XL Curet. affert exempla omissionum, quarum causa intelligi nequeat. Quidam sunt loci biblici, quos non

dubitamus a scribis Ignatii verbis esse additos. Quod vero dicit vocem *ἀδιαλείπτοις* Pol. 3 esse omissam non concedimus, nam verbo ܐܬܬܙܝܥ ambo verba *ἀδιαλείπτοις σχόλαζε* exprimuntur. *Ἀδιάλειπτος* quidem vertitur in Pesch. ܠܐ ܫܠܐ Rom. 9, 2 et *ἀδιαλείπτως* ܕܠܐ ܫܠܘ Rom. 1, 9; 1 Thess. 1, 3; 5, 17 tamen legitur et ܐܡܝܢܐܝܬ 1 Thess. 2, 13; 2 Tim. 1. 3. Syr. igitur pro ܕܠ ܐܡܝܢܐܝܬ eleganter posuit ܒܪܘܚܐ ܐܬܬܙܝܥ. Sed nolumus his in rebus haerere, semper enim eo redit Curetonus ut contendat causas non posse excogitari, cur Syrus tot locos omiserit, id quod nos et contra eum possumus vertere, neque enim potest causa afferri, cur Graecus textum originalem corruperit. Quod vero dicit p. XLII, has epistolas, si textus syriacus non esset originalis, unicum esse exemplum librorum decurtatorum, quum plurimi sint interpolati et ficti ante Eusebii tempus non stat. Nam recensio nostra syriaca et post Eusebium potest esse composita, neque hucusque constat, codicibus Londinensibus has syriacas epistolas originali exhiberi forma; imo infra nostrum erit quaerere, num fortasse versio syriaca omnes septem epistolas sit amplexa, e qua Syrus, quem dicere liceat Curetonianum, locos tantum excerpserit, id quod non temere constituisse nobis videmur. Pag. XLII Denique Curetonus contendit, recensionem syriacam, quam vis plurima omittentem, contextum non solum non rumpere, verum etiam strictiorem reddere. Hujus argumenti vis, quae videtur maxima, ea de causa valde minuitur, quod et is, qui librum excerpit, id tali modo faciet, ut connexu non rupto tenor scriptoris appareat. Nos vero neque in Curetoni verbis acquiescimus, hac de re vero capite ultimo nobis est agendum, ubi de contextu Syri seorsim agemus.

Qui post Curetonum Syrum[1]) defendit prorsus aliam secutus est rationem, id enim agit, ut Syrum omnium textuum antiquissimum exhibere demonstret. Ejus viam ut intelligamus hoc nobis est notandum. Petermannus in Prolegomenis ad suam epp. Ignt. editionem contendit, Armenium vertisse

---

[1]) Lipsius in libro laud., Ueber das Verhältniss des Textes der drei syr. Briefe des Ignt. etc.

Syrum Curetonianum, et hac re Syri defensores valde premuntur, quum Armenius tredecim epistolas contineat. Lipsius, qui hoc periculum vult evitare, duplicem distinguit syriacam recensionem, quarum altera in codicibus Londinensibus altera in fragmentis a Curetono collectis insit, et haec quidem confecta est e Syro Curetoniano adhibitis libris graecis. Nostrum igitur erit quaerere, num suo jure Lipsius duplicem hanc recensionem syriacam distinxerit. Alteram in fragmentis servatam armeniace esse versam deinde concedit, Syrum Curetonianum vero textum originalem exhibere contendit, sic enim Armenii testimonium, secundum quod Syrus tredecim continuisse debet epistolas evasit.

Tenor argumentationis hic est: I. Recensio graeca minor (graec. *A*) Eusebii tempore nota quidem, sed non divulgata fuit, id quod Theodoreti demum aetate est factum p. 26; II. Duplex exstat recensio syriaca; minor (Syrus Curetonianus), quae saeculo quarto nota erat, major (fragmentis servata), quae tempore haereseos monophysiticae usu venit, p. 46; III. Duae variae textus formae sunt (Textfamilien eas appellat Lipsius), quarum altera recensioni graecae minori (graec. *A*) inest[1]), altera recensioni longiori (graec. *B*)[2]) p. 82; IV. Versio armeniaca textum ex ambabus graecis recensionibus mistum habet, plerumque vero textum *A* sequitur, p. 103, 108, 110, 112; V. Syrus (Curetonianus) ad neutram familiam pertinet, et textum habet praestantissimum, p. 136; VI. Quantum propter linguae indolem fieri potuit, Syrus verbum verbo exprimens textum graecum reddidit, p. 147; VII. Concedit Lipsius Armenium textum habuisse Syro Curetoniano similem p. 152, habuit vero et Syrum alterum (cf. II). Syrum Curetonianum habuit secundum libros graecos, quorum textus ex *A* et *B* erat mistus, saepe mutatum, p. 156; iis locis, qui Syro Curetoniano desunt, secutus est seriorem textus recensionem, et quidem eam, secundum quam et eae partes

---

[1]) E patribus textum *A* habuit Theodoretus, Pseudoathanasius, Gelasius, fragm. syriaca IX—XII Curet.

[2]) Textum *B* exhibent Irenaeus, Eusebius (?), Maximus, Joh. Damasc. Antonius Melissa (qui jam cum *A* saepe conveniunt) denique Antiochus Monachus.

sunt mutatae, quas primum e Syro Curet. vertit, p. 158; VIII. Et iis in locis, quos Syr. Curet. omittit, Armenius textum syriacum habuit, et is non potuit esse, nisi Syrus major a Lipsio creatus. Hic Syrus major et ipse duplicem habet formam alteram in epistolis quas et Syr. Curet. habet, alteram in reliquis, tamen ea quae e Syr. Curet. sunt desumta sunt corrupta, p. 160; IX. Syrus major et minor inter se saepe conveniunt, id quod facile explicatur, si accipimus, Syrum majorem antiquiore versione, tres epistolas amplectente, usum esse, p. 159; X. Quum Armenius ad textum *A* pertineat etiam Syrus major huic est accensendus, p. 160. Syrus minor vero ad neutrum textum pertinet, itaque corruit Petermanni opinio, non enim Armenius Syrum Curetonianum vertit, sed alterum cujus textus illi quidem cognatus est, p. 166.

Non possumus, quin profiteamur, nobis hanc argumentationem nimiam prodere sagacitatem, et quamvis ipsi acumini philologico plurima tribuamus, haec nobis ejus fines videntur excedere. Ut supra diximus id praesertim agit Lipsius, ut argumentum e versione armeniaca contra Syrum Curetonianum petitum evitet. Hoc vero eo modo est conatus, ut omnem Armenii peculiaritatem tollat; an potest certi quid de ejus textu definiri, qui ex recensionibus *A* et *B* est mistus, licet plerumque recensionem *A* sequatur, qui Syrum majorem vertit, qui et ipse iis locis, quos Syrus Curetonianus habet, cum hoc ad verbum fere convenit? Syrum longiorem vero Lipsius excogitavit, neque eum unquam fuisse comprobavit (cf. p. 30). Haec est petitio principii, nam quum statuat, p. 30, Syrum Curet. et majorem convenire iis locis, quos uterque habeat, unde scit, Syrum Curet. esse integrum, nec mutilatas tantum habere epistolas? Unde colligit, ea quae Syrus Curet. omiserit ab altero Syro esse addita? Quod deinde pergit suam de Syro altero opinionem etiam versione armeniaca suaderi, quaerendum potius est, num re vera Armenius textum syriacum alium habuerit, quam eum cujus capita quaedam Syrus Curetonianus exhibeat. Syrum Curetonianum denique contendit a textu *A* et *B* esse alienum ideoque originalem (id quod nondum sequitur), at Armenius quoque et Syrus major textum mistum habent, quamvis plerumque textum *A* sequan-

tur, itaque hi quoque neutri familiae adnumerari possunt. Ubi igitur discrimen inter Syrum majorem et Curetonianum est positum, nisi in eo, quod alter capita habet, quae alter omittit? Hoc in argumento vero omnis disquisitio versatur, quum non constet Syrum Curet. formam epistolarum originalem praebere. Quomodo denique Syrus Curet. et alter possunt distingui? Omnia quae Syrus Curet. non habet, alteri attribuuntur; at estne Syrus Cureton. integer? Sed mittamus internas has difficultates, quibus laborat Lipsiano argumentatio; apparet totam ejus rem pendere e duabus textus graeci familiis ab eo distinctis, quaerendum itaque nobis est, num has suo jure posuerit, quod si non fecit neque reliqua, quae de variis epistolarum Ignatianarum recensionibus definivit, possunt defendi.

Incipit p. 50 eo quod et in recensione graeca longiore praestantissimas inesse lectiones contendit; textus vero hujus recensionis a recensione minore recedit, haec ad familiam *A*, illa ad familiam *B* pertinet. Additamenta interpolatoris ubique sunt secernenda, qua in re maxima difficultas est posita, quum ea cognoscere non possimus nisi adhibita minore recensione; et quum praeterea nesciamus, quae ab interpolatore in textu sint mutata, textum familiae *B* restituere non facile possumus. Non igitur facile quid Lipsius est conatus, textum enim familiae *B*, ad quem saepe redit, conjectura tantum restituit. Primum ejus testem affert Eusebium, qui his locis cum *B* convenit: Rom. 5, Eus. et *B* *ἐνδεδεμένος, ἃ καὶ εὔχομαι, σύντομα, θέλῃ, συγκοπαί* et omittit *κακαί*; *A*: *δεδεμένος, καὶ εὔχομαι, ἕτοιμα, θελήσῃ, συγκοπή*, quod ad *κακαί* sine dubio ortum est e *καὶ* quod et *B* habet, Euseb. autem non. Eodem loco vero cum *A* convenit Eus.: *κἂν αὐτὰ δὲ ἄκοντα*, (*B ἕκοντα*) *κολάσεις ἐρχέσθωσαν*, *B κόλασις ἐρχέσθω*. Unus Eus. habet: *ἑτοίμων* pro *ἡτοιμασμένων*, omittit *καὶ* in phrasi *καὶ κολάσεις*, ex hoc *καὶ* vero *κακαὶ A* est ortum, hoc vero Lat. *A* et Syr. habent ܦ̈ܣܩܐ pro ܒܢܝܐ, omittit *ἀνατομαὶ καὶ διαιρέσεις*. Deinde Smr. 3 Eus. et *B* habent *ἐγὼ δὲ*, *A γάρ*, sed *δε* et potest esse interpolatoris, qui hunc locum corrupit, praeterea vero cum *A* legit *εὐθὺς αὐτοῦ ἥψαντο καὶ ἐπίστευσαν* *B καὶ εὐθὺς ἐπίστευσαν*, solus denique habet *ἐλήλυθε* pro *ἦλθε*

utriusque Graeci. Rom. 4, Eus. et *A σῖτός εἰμι θεοῦ, B τοῦ θεοῦ;* Eus. *ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ, A* addit *τοῦ χριστοῦ, B ἵνα κάθαρος ἄρτος θεοῦ εὑρεθῶ.* Rufinus vero Eusebium vertens habet: ut panis mundus efficiar Christo. Cur hoc errore factum esse Lipsius p. 53 contendat nescimus, nisi forte, ne locus Eus. cum *A* conveniat. Quodsi locos dubios hujus collationis omittimus, quatuor sive quinque locis Euseb. cum *A* contra *B* convenit, quinque locis ab utroque recedit, quinque cum *B* rem habet. Num potest ex his locis colligi, Eusebium a partibus familiae *B* stare? Non videtur, tamen certum habemus, Eusebium textum harum epistolarum habuisse optimum. Ejusdem familiae testem affert Lipsius Irenaeum, qui in loco Rom. 4 cum *B* habet *ἄρτος θεοῦ εὑρεθῶ* (adv. haeres. 5, 28 panis Dei inveniar). Sed nonne mirum est, eos qui secundum Lipsium eundum textum sequuntur, non inter se convenire? Eusebius enim (*ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ*) *θεοῦ* omisit, sive secundum Rufinum cum *A* legit *τοῦ χριστοῦ.* Huc accedit, quod Irenaeus habet frumentum sum Christi, quum Eusebius et ambo Graeci praebeant *σῖτός εἰμι θεοῦ, B τοῦ θεοῦ.* En, qui dicuntur textum *B* exhibere, nec cum hoc neque inter se conveniunt!

Tres alios deinde p. 53 Lipsius huic classi adnumerat, Maximum, Johannem Damascenum, Antonium Melissam, ita tamen ut hi peculiarem textus formam exhibeant p. 55. Novem fere attulit locos e Johanne, quibus textum *B* est secutus. Nos vero omnia fragmenta conferentes nec paucos invenimus, quibus ab eo recedit. Levioribus rebus omissis, id quod et Lipsius fecit, neque iis allatis verbis, quae scribendi tantum genere sunt diversa (*πλέον* pro *πλεῖον* ut supra apud Euseb. R. 5, *ἀλυσμοί, ἀλεσμοί, ἀλησμοί*) habes haec:

Smr. 8—9, Joh. et *A*.	Textus *B*.
1. *ὡς Ἰη. χρ. τῷ πατρί·*	1. *ὡς ὁ χρ. Ιη. τῷ πατρί.*
2. *καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς*	2. *καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ δέ.*
3. *ὅπου ἂν* (*A ἡ* Joh. *ὁ*) *χριστός*	3. *ὥσπερ ὅπου ὁ χρ.*
4. *ἀλλ' ὃ ἂν ἐκεῖνος δοκιμάσῃ τοῦτο καὶ* (omittit Joh.) *τῷ θεῷ εὐάρεστον*	4. *ἀλλ' ὃ ἂν ἐκείνῳ δοκῇ κατ' εὐαρέστησιν.* Apodosis est corrupta.
5. *ὑπὸ θεοῦ τετίμηται*	5. *τιμηθήσεται.*

Ex hac epistola Lips. p. 54 duos tantum locos pro sua opinione attulit (Joh. et *B* addunt *διακονοῦντας* ad *θεοῦ ἐντολὴν*, et *ἀνανῆψαι ἡμᾶς ὡς ἔτι* pro *ἀνανῆψαι καὶ ὡς ἔτι A*), quinque igitur quos nos proposuimus comprobabunt, etsi non contrariam opinionem, tamen Johannem non textum *B* praebere. Et ut statim dicamus, quae de hac re sentiamus, omnino duas textus familias distingui posse negamus, nam primum locis e patribus haustis haec opinio non confirmatur, ut supra vidimus et infra videbimus, deinde quoque patres ipsi fontes suos ut alibi sic hic quoque non accurate transcribunt, cujus rei exemplum clarissimum apud ipsum Johannem statim inveniemus. Sed ut plane intelligatur quantopere recensiones graecae a Johanne recedant, collationem hanc ante oculos ponimus:

	Graec. *A* et *B*.	Joh. Damasc.
Sm. 8-9.	*ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα,*	*ὑπὸ τῶν ἐπισκόπων.*
	ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω,	— *ἤτω.*
Tr. 4.	*ἐν ᾗ καταλύεται,*	*ἐν ᾧ* —.
6.	*ἡ ἀγάπη Ἰη. χρ.*	*ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰη. χρ.*
11.	*φυτεία πατρός*	*φυτ. τοῦ πνεύματος*
Phild. 3.	*βοτανῶν ἅστινας οὐ γεωργεῖ Ἰη. χρ.* (*B* invertit *Ἰη. χρ. οὐ γεωργ.*)	*βοτανῶν ὧν γεωργεῖ Ἰη. χρ.*
7.	*μάρτυς μοι* (*A* add. *δέ*)	*μάρτυς μου*
	πνεῦμα ἐκήρυσσε (*B ἐκήρυξε*) *λέγων τάδε*	*ἐκήρυσσε τάδε*
Mgn. 3.	*τὸν ἀόρατον παραλογίζεται*	add. *θεόν.*
7.	*ὥσπερ οὖν ὁ κύριος ἄνευ*	*κύριος ἡμῶν*
Eph. 14.	*ἐὰν τελείως εἰς Ἰη.* (om. *B*) *χρ.*	omittit *τελείως*
	ἐν ἑνότητι γενόμενα θεοῦ ἐστιν.	*θεός ἐστιν.*
	B θεοῦ ἄνθρωπον ἀποτελεῖ	
	οὐδεὶς πίστιν ἐπαγγελλόμενος	*πίστιν ἐπαγγελλόμενος ἔχειν.*
	ἁμαρτάνει (*B ὀφείλει ἁμαρτάνειν*)	

	Graec. *A* et *B*.	Joh. Damasc.
	οὐδὲ ἀγάπην	οὐδεὶς ἀγάπην
Eph. 16.	οἱ οἰκοφθόροι	om. οἱ.
Pol. 1.	ἐν ἀγάπῃ, ὥσπερ καὶ ποιεῖς	ὥσπερ καὶ ποιεῖς deest.
	ἀκοίμητον πνεῦμα	ἀκ. ὄμμα
	ὡς τέλειος ἀθλητής	ὡς ὁ τέλειος ἀθλ.
2.	μᾶλλον τοὺς λοιμοτέρους (*B* δὲ)	τοὺς ἀπειθεστέρους.
3.	στῆθι ἑδραῖος (*B* δὲ) ὡς ἄκμων τυπτ.	στῆκε ὡς ἄκμων τυπτόμενος
	μεγάλου ἐστὶν ἀθλητοῦ	μεγ. ἀθλ. ἐστὶν.
	ὑπομένειν ἡμᾶς δεῖ	ἡμᾶς ὑπομ. δεῖ.
4.	ἀλλὰ μηδὲ αὐτοὶ φυσιούσθωσαν — ἐπιθυμίας	ordinem invertit
6.	ἵνα καὶ ὁ θεὸς ὑμῖν	ὑμῖν ὁ θεός.
	ἀντίψυχον ἐγώ	ἐγὼ ἀντίψυχον
	γένοιτο σχεῖν ἐν θεῷ (*B* ἔχειν)	σχεῖν deest.

Deinde ut intelligatur, quam negligenter Johannes locos descripserit, conferre juvabit locum Sm. 8—9 quem bis citavit, Curet. p. 181 et 183. Uno loco verba *ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ* **posuit, altero omisit; sic et** *ὡς θεοῦ ἐντολὴν* **uno habet, altero addit** *διακονοῦντες;* **uno** *τῶν ἀνηκόντων ἐν ἐκκλησίᾳ,* **altero** *εἰς τὴν ἐκκλησίαν;* **uno** *ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία,* **altero deest** *ἐκείνη;* **uno** *ἡ ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου* **altero** *τῶν ἐπισκόπων;* **uno** *ἐκεῖ τὸ πλῆθος,* **altero addit** *ἤτω;* **uno** *ὅπου ἐὰν ἡ Ἰη. χρ.* **altero** *ὅπου ἂν ὁ χρ.;* **uno** *ἡ καθολικὴ ἐκκλησία* **altero** *καθ. ἡ ἐκκλ.;* **uno** *χωρὶς ἐπισκόπου,* **altero** *χωρὶς τοῦ ἐπ.;* **uno** *ἀγάπας ποιεῖν* **altero** *ἀγάπην;* **uno** *Ιη. χριστῷ εὐάρεστον,* **altero** *τῷ θεῷ;* **uno verba** *ἵνα ἀσφαλὲς ᾖ καὶ βέβαιον πᾶν ὁ πράσσεται* **posuit, altero omisit. En eximium testem familiae** *B*! **Ubi omnia in verbis accurate transscriptis haerent, testis duodecim lineis duodecies sibi ipsi repugnat. Quamquam Johannis testimonium jam satis refutatum habemus tamen ne ceterae epistolae restent, quibus Lipsii opinio possit defendi, et eos locos afferimus, quibus Joh. cum** *A* **contra** *B* **convenit.**

In epistola ad Tr. 4, Joh. et *B* post verba *χρήζω — τοῦ αἰῶνος τούτου* inserunt *ὁ διάβολος* et verba in recens. minore omissa *κἂν ἐῤῥωμένος ὦ — μεμαστυγοῦσιν* ambo habent, deinde ambo addunt *τι* verbis rec. min. *μηδεὶς κατὰ τὸν πλησίον ἐχέτω;* — at in eadem epistola Joh. cum *A* contra *B* habet cap. 4. *ὅταν* (*A ὅτ' ἂν*) *τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσησθε, B* om. *ὅταν;* cap. 8 *φυλάττεσθε οὖν τοὺς τοιούτους* (*A τοῖς τοιούτοις*), *B ἀσφαλίζεσθε;* cap. 10 *γεύσηταί τις, B τις γεύσηται.* — Ex ep. ad Pol. attulit Lipsius locos tres, nos eorum numerum augemus: cap. 2 Joh. et *B τὰ φαινόμενά σοι A σου;* cap. 3 *τὸ δέρεσθαι καὶ νικᾶν, A* om. *τό;* cap. 6 *μακροθυμεῖτε, A μακροθυμήσατε; ἐν πρᾳΰτητι A ἐν πρᾳότητι;* at Joh. et *A* cap. 2 habent *ἐν πρᾳότητι, ἵνα σοι φανερωθῇ, μηδενὸς λείπῃ B* vero *πρᾳΰτητι, φανερωθείῃ, μηδέν σοι λείπῃ,* et cap. 4 *ἐράτωσαν, B αἱρέτωσαν,* deinde quoque hac in ep. ambo Graeci saepissime contra Joh. conveniunt, cf. collationem nostram, et respice cap. 4 ubi Joh. verba *ἀλλ' εἰς δόξαν τοῦ θεοῦ — τύχωσι* iis postponit, quae in recens. graecis praecedunt. Hoc quoque est exemplum, quomodo addiderit Joh. verba, ut sententiae nexu originali rupto intelligi queant, *οἱ δοῦλοι* enim in libris graecis non legitur. Idem fecit Anton. Melissa Curet. p. 185.

Quodsi in ep. ad Mgn. Johannes cum *B* verba *καὶ τῶν πρεσβυτέρων* omisit, in eadem epistola cap. 4 cum *A* habet *ὥσπερ καί τινες ἐπίσκοπον μὲν καλοῦσι, B λέγουσι;* cap. 7 *εὔλογόν τι φαίνεσθαι ἰδίᾳ ὑμῖν, B μηδέ τι φαινέσθω ὑμῖν;* et cap. 10 *ὃς* (Joh. *ὅστις*) *γὰρ ἄλλῳ ὀνόματι, B γὰρ ἂν ἄλλῳ;* — sic et in ep. ad Phild. cum *A* praebet Joh. cap. 2 *τέκνα* (*A* add. *οὖν*) *φωτός, B ὡς τέκνα οὖν;* cap. 3 *διὰ τὸ μὴ εἶναι αὐτοὺς φυτείαν B αὐτάς; μὴ πλανᾶσθε ἀδελφοί μου, B ἀδελφοὶ μὴ πλανᾶσθε;* cap. 7 *ἐν ᾧ δέδεμαι, B δι' ὃν δέδεμαι.* Denique in ep. ad Eph. cap. 6 Joh et *A καὶ ὅσον βλέπει τις σιγῶντα ἐπίσκοπον, πλέον* (*A πλειόνως*) *αὐτὸν φοβείσθω, B ὅσῳ οὖν βλέπετε σιωπῶντα τὸν ἐπ. πλεῖον αὐτὸν φοβεῖσθε;* cap. 13 *ὅταν γὰρ πυκνῶς B συνεχῶς;* cap. 14 *ἀρχὴ μὲν* (Joh. add. *ἡ*) *πίστις, B ἀρχὴ ζωῆς πίστις.*

Sed haec sufficiant, satis comprobatum est, Johannem minime textum *B* sequi, colligendum vero est ex exemplis allatis, Johannis tempore textum mirum in modum fuisse varie-

gatum, id quod et inde apparet, quod Joh. locos laudat, qui hodie apud Ignatium non exstant. Vide Curet. p. 181 *εὐεργεσίᾳ τοῖς ὑποδεεστέροις κ. τ. λ., παρθενίας ζύγον κ. τ. λ., τοῖς νέοις ἐπίτρεπε κ. τ. λ.* Ultimos duos et Antonius Melissa habet, Curet. p. 185, recte igitur Lipsius his scriptoribus eundem textum adtribuit, sed hic non cum Lipsii *B* convenit. Et singulis verbis hi inter se conveniunt, quibus a textibus graecis recedunt, e. g. Pol. 3 *στῆκε ὡς ἄκμων τυπτόμενος*, cap. 4 *οἱ δοῦλοι μὴ ἐράτωσαν*, cap. 2 *ἀπειθεστέρους* pro *λοιμοτέρους*, tamen et inter se sunt diversi Eph. 5, 6 (cf. Lips. p. 55). Antonius vero cum *A* convenit Pol. 5 *ἐὰν γνωσθῇ πλέον τοῦ ἐπισκ. B πλήν*, ib. *ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ θεόν, B κύριον;* cum *B* convenit verbis *εἰς τιμὴν τῆς σαρκὸς τοῦ κυρίου*, *A τοῦ κυρίου τῆς σαρκός*, recedit vero a Graecis ambobus omittens verba *ἐὰν καυχήσεται ἀπώλετο* et addens *αἰσχρὰν* ad *ἐπιθυμίαν*. Alibi autem Eph. 13 habet *καταλύεται*, *A*, *B*, Joh. *καταργεῖται*. Sic et Trl. 4 addit cum *B* et Joh. *διάβολος*, omittit tamen *ὁ*, quod *B* habet. Maximus deinde loco nostro cum *B* convenit, Joh. vero pro *φυσιοῦσι* legit *φυσῶσι*, recedit autem idem Maximus cum Joh. a *B* Sm. 11, ubi *B* verbum *ἐστὶν* et bis *καί* addit.

Omnibus his locis recte perpensis non possumus Johannem Antonium, Maximum recensionis *B* admittere testem. Non igitur stat Lipsii opinio; recensio *B* omnino non est, verum variae lectiones mirum in modum fluctuant, ita ut modo hic modo illic forma originalis videatur latere. Quod ut et ab altera parte illustremus, addenda sub finem collatio testium eorum, quos Lipsius recensionis *A* dicit asseclas, qua id confirmatum iri speramus, quod de recensionibus ab eo statutis exposuimus.

Primum p. 59 affert Theodoretum, qui Sm. 1 *πεπληροφορημένος — ἐν σαρκί* ad verbum cum *A* conveniat, exceptis duobus locis, *ἀληθῶς* aliter est positum et pro *κατὰ θέλημα* legitur *θεότητα*. Sed audiatur et altera pars. Interpolationibus scatet *B*, quae sunt secernendae, quod ut fieri possit, nobis nunc interpolatoris ratio est describenda, ita ut textum *B* quantum possumus restituamus.

Interpolator primum locos biblicos addit, ut doctrinarum veritatem confirmet. Exempla sunt innumerabilia, locique in edd. adnotati, interdum et inepte locos laudat, cf. Eph. 5, Mth. 18, 28.

Deinde, quae obscure dicta sunt explicat seu accuratius definit, imagines diligentius excolit, et quae comprehensu sint difficilia simplicius proponit, quo facto elegantiam styli valde laedit eumque prolixum reddit, cf. Pol. 2 *διὰ τοῦτο* (*ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος εἶ*) *σαρκικὸς καὶ πνευματικός;* cap. 3 *ἵνα καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ὑπομείνῃ* (*ἀναμείνῃ εἰς τὴν βασιλείαν*) addit *συντομώτερον δράμε*; Eph. 2 addit *ἄμωμον* et *τοῦ μακαριστάτου*, cap. 4 addit *τοῦ ποιμαίνοντος ὑμᾶς;* cap. 8 paradoxon illud *ἃ δὲ καὶ κατὰ σάρκα πράσσετε, ταῦτα πνευματικά ἐστιν* ita mutat: *ὑμεῖς δὲ πληρεῖς ὄντες τοῦ ἁγίου πν. οὐδὲν σαρκικὸν ἀλλὰ πνευματικὰ πάντα πράσσετε;* cap. 9 haereticos anxie depingit; cap. 19 praeter magiam goetiam quoque et mundanam sapientiam recenset, Tr. 9 singula haereticorum nomina dicit, saepissime denique Christi nomini praedicata addit, e. g. *τοῦ κυρίου ἡμῶν* al.

Tum excursus dogmaticos facit, doctrinamque suo tempore haereticam, antea vero non rejectam, emendat, cf. Tr. 9—10, ubi totam serioris aetatis christologiam Ignatio intrudit; cap. 3 ei non sufficit dixisse, sine diaconis et presbyteris non esse ecclesiam, sed addit (contra haereticos quosdam) ecclesiam non esse *συνάθροισμα ἁγίων* et *συναγωγὴν ὁσίων;* Pol. 3 singula Christi praedicata *τὸν ἄχρονον* rell. certius definit, imo textum, cujus verba offendebat, emendavit, pro *ἐν αἵματι θεοῦ* Eph. 1 scribens *ἐν αἵματι χριστοῦ*.

Denique saepenumero textum mutavit quasi mutandi furore pressus ita ut mutationum causa dici nequeat, saepe etiam ad restituendum nexum additamentis corruptum particulas *δὲ, καὶ, οὖν* alias posuit.

Hic praemissis revertamur ad locum nostrum Sm. 1, ubi ejectis duobus locis biblicis Col. 1, 15, Rom. 1, 3 et verbis *πολιτευσάμενον ὁσίως ἄνευ ἁμαρτίας* 1 Petr. 2, 22 cl. act. 23, 1, quae neque Armenius neque frgm. Severi Curet. p. 214

exhibent, nec minus omissis verbis *ἐκ Μαρίας τῆς*, quae sunt interpretamentum, haec habemus: *πεπληροφορημένους* (*ὡς*) *ἀληθῶς εἰς τὸν κύριον ἡμῶν* [*θεοῦ υἱὸν*] *ὄντα ἐκ γένους Δαβὶδ κατὰ σάρκα, ἐκ παρθένου, βεβαπτισμένον ὑπὸ Ἰωάννου, ἵνα πληρωθῇ πᾶσα δικαιοσύνη ὑπ' αὐτοῦ, ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου καὶ Ἡρώδου τοῦ τετράρχου καθηλωμένον ὑπὲρ ἡμῶν ἐν σαρκὶ ἀληθῶς*. Quodsi ejus rei rationem habemus, quod verba *θεοῦ υἱὸν* cum additamento sunt juncta, ideoque infra omissa, quo facto ordo necessario debuit turbari et quod verba *κατὰ θέλημα καὶ δύναμιν θεοῦ γεγενημένον* sunt omissa, quae et Arm. et fragm. Severi commendant, haud temere opinari licet, interpolatorem eundem habuisse textum, quod si rectum est Theodoretus uno loco *πεπληροφορημένους ἀληθῶς* cum Lipsii *B*, altero *ἀληθῶς ἐπὶ Ποντ.* cum Lipsii *A* convenit, *θεότητα* vero pro *θέλημα* (Syr. ܨܒܝܢܐ) falsum est. Sicut ex hoc loco ita et e ceteris colligi non potest, Theodoretum uni aut alteri familiae esse accensendum. Omnino vero hac in re id videtur notandum, quod Lipsius eos locos non multum curat, quibus *A* a testibus suis recedit, eos autem premit, quos *B* habet, quamvis saepissime non demonstraverit, illos esse originales neque interpolatoris opus. Non enim facile dici potest, quatenus interpolator textum adulteraverit, ita ut non sine temeritate de ratione, quae interest inter utrumque textum, certi quid statui possit. Affert Lipsius Sm. 3; quae in *B* ex hoc capite leguntur cum *A* conveniunt, Euseb. quoque, qui *B* dicitur habuisse verba *αὐτοῦ ἥψαντο καὶ* (*ἐπιστ*) adjicit; quae desunt propter additamenta videntur ejecta, et hoc quum Lipsius nesciat non debet in suum usum vertere dicens p. 59: wo namentlich die letzten Worte *ὡς σαρκικός κτλ.* nicht nothwendig in Folge der weitern Zusätze des Interpolators hinausgeworfen zu sein brauchen. Imo non levis est mutatio verborum ultimorum, Theod. et Arm. *ὡς σαρκικῶς καὶ πνευματικῶς ἡνωμένος* vim enuntiati pervertunt, quum in verbis *A* *συνέπιεν* (*αὐτοῖς*) *ὡς σαρκικὸς καίπερ πνευματικῶς ἡνωμ.* omnia in oppositione membrorum sint posita, quam illi tollunt. Cap. 4 Theod. cum *B* habet *τῷ δοκεῖν*, *A* *τὸ δοκεῖν*; sic et *ἔκδοτον ἐμαυτὸν*, *A* *ἑαυτὸν*. Verba denique *ἀλλ' ἐγγὺς μαχαίρας* — *μόνον ἐν* Arm. habet, Theod. eorum partem non solum omittit,

sed sensum enuntiati plane corrumpit, locum communem id ponens quod Ignatius ad se suumque martyrium refert; habet enim *ὁ ἐγγὺς μαχαίρας ἐγγὺς θεοῦ.* Lipsius ea quae *A* solum habet *μεταξὺ θηρίων μεταξὺ θεοῦ* additamentum habet. Cur? Locus est elegantissimus redit enim duplex membrum *ἐγγὺς μαχ.* et *μεταξὺ θηρ.* ad praecedentia *πρὸς μαχαίραν, πρὸς θηρία,* quorum neutrum additum videtur, quum et apud *B* exstent. Verba denique quae habet *B* *ἐν σώματι γέγονεν* et *τῷ δοκεῖν ἐσταυρώθη* inserta sunt pro *ταῦτα A,* quod non habet quo referatur. Locum impeditum interpolator bene explicuit. Sub finem pro simplice Theod. *ἀνθρώπου A* habet *ἀνθρ. γενομένου, B* omnia omisit, Lipsius vero hoc in ejus textu rectum habet p. 59; Cur? Cap. 5 Theod. et *B τί γάρ ὠφελεῖ εἰ ἐμὲ* (Theod. *εἴπερ με*), *A* autem *τί γάρ με ὠφελεῖ τις;* quod vero Lips. dicit cap. 6 Theodoretum cum *A* contra *B* rem habere, nobis nimis videtur audax, interpolator enim textum adeo corrupit cap. 5—6, ut qualis fuerit dici nequeat. Eph. 7 *εἷς ἰατρός ἐστιν* Theod. pro *γεννητὸς καὶ ἀγέννητος* habet *γεν. ἐξ ἀγεννήτου,* quibus verbis haereticam doctrinam Christum non genitum esse evitat, alii cum *A* habent *γεννητ. καὶ ἀγενν.* frgm. syr. p. 218 (anglice 248) ܥܒܝܕܐ ܘܠܐ ܥܒܝܕܐ, Gelasius factus et non factus. Cod. Medic. tum habet *ἐν ἀνθρώπῳ γενόμενος θεὸς,* Theod. vero *ἐν ἀνθρώπῳ θεὸς* ut Syr. p. 218 ܒܗ ܐܢܫܐ ܐܠܗܐ et p. 219 ܒܪܢܫܐ ܐܠܗܐ, ceterum Medic. legit *ἐν ἀθανάτῳ ζωῇ ἀληθινῇ,* Latinus in immortali vera vita, alii vero ut Theod. *ἐν θανάτῳ,* Syr. ܒܡܘܬܐ ܚܝܐ ܫܪܝܪܐ, quod praestat. Denique Theod. cum Gelasio in fine apponit *Ἰη. χρ. ὁ κυρ. ἡμ.* quod *A* non habet. Cap. 18 *A* habet *ἵνα τῷ πάθει τὸ ὕδωρ καθαρίσῃ* frgm. syr. p. 211 ܗܘ ܕܐܠܡܐ ܕܚܒܠܐ ܡܝܐ ܢܕܟܐ, Arm. ut purgaret aquae corruptionem, Theod. vero *ἵνα τὸ θνητὸν ἡμῶν καθαρίσῃ.* *B* penitus corruptum est, nescimus igitur num ab *A* fuerit diversum. Quod Theod. Eph. 20 habet *καὶ ἑνὶ Ἰη. χρ.* pro *A ἐν Ἰη. χρ.* et *εἴ τι* pro *ὅτι* levius est quam de quo agamus, sic et Tr. 9 omissum *ἀληθῶς* post verba *ἐπὶ Ποντίου Πιλ.* non curamus. Tamen hoc stat, non levia inter Theodoretum et recensionem minorem esse discrimina, neque dici posse, eum hanc rec. esse secutum, quum altera recensio propter interpolationes saepissime conferri nequeat. Idem cadit

in Gelasium. Omnino vero rem suam impeditam reddit Lipsius, statuens ipsum codicem Mediceum mendis laborare, nam tum recensionis *A* nullum habet testem firmum. Quod si rectum est tota Lipsii thesis non est defendenda. Collationibus non comprobavit vere duas textus esse familias, collationibus nostris auctoritatem testium ab eo allatorum admodum imminuisse nobis videmur, ita ut contendamus e lectionum varietate, ab illo et a nobis proposita, nihil colligi posse, nisi jam antiquissimo tempore textum admodum fuisse dubium, additamentisque adulteratum, denique non licere certas duas textus formas distinguere. Hac vero in re Lipsianae argumentationis fundamentum est positum, quo labefacto nobis denique investigandum est in naturam Syri Curetoniani et quaerendum, num forte alia ratione adhibita certi quid de ejus indole possit definiri.

Caput tertium.

De indole versionis syriacae deque fragmentis huc trahendis.

Quum eo processerit Lipsius, ut de recensione syriaca agat, recte duplicem Uhlhornii quaestionem repetit, primum enim quaerendum esse dicit, qualem textum Syrus verterit, deinde quomodo eum reddiderit. Sed statim affert familias suas, qua in re nos, qui nobis jam persuasimus temere eas esse distinctas, opere laborioso supersedentes, non amplius contra Lipsium in lectionum varietatem inquiremus, sed ordine inverso primum quaeremus quomodo Syrus librum graecum verterit, quum soluta demum hac quaestione de textu quem habuerit judicium ferre liceat. Deinde inter fragmenta syriaca Curet. p. 197—221 quaedam eosdem locos exhibent, quos et Syrus Curet. habet, et cum eo bene convenientia eidem versioni sunt accensenda, in ceteris vero, ubi Syri rationem cognovimus periculum faciemus quaerere num et in fragmentis ejusdem scriptoris manus possit deprehendi.

Quaestio nostra quae admodum intricata potest videri, quum nesciamus, quem textum Syrus verterit, eam ob causam fit simplicissima quod capita quaedam integra Graeci minoris et majoris apud Syrum legantur, e quibus ejus vertendi ratio facillime potest dijudicari. Conferamus igitur versionem syriacam cum textu omnium epistolarum graecarum.

I. Epistola ad Polycarpum.

In inscriptione Graeci ambo habent ἐπισκόπῳ ἐκκλησίας Σμυρναίων Syr. vero ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܐܙܡܘܪܢܐ. Nomen urbis Smyrnae in Peschittho scribitur ܣܡܘܪܢܐ apoc. 1, 11; 2, 8. Latinus cum Syro omittit ἐκκλησίας. Ἐπισκοπημένῳ ܕܡܣܥܪ. Vox ܣܥܪ pro ἐπισκοπεῖν in Pesch. adhibetur 1 Petr. 5, 2 ut ἐπίσκοπος 1 Petr. 2, 25 est ܣܥܘܪܐ. Pro simplice κυρίου legitur ܡܪܢ secundum usum versionis simpl. Eph. 1, 2, 2 Cor. 1, 2, 1 Cor. 1, 3 etc.

Cap. I. Ἀποδεχόμενος οὖν. Secundum linguae usum structuram participialem solvit ܡܩܒܠ ܕܡܩܒܠ ܠܝ, participium passive est intelligendum (is acceptable to me Curet.). ܩܒܠ in Pesch. pro ἀποδέχομαι ponitur Luc. 8, 40, act. 15, 4; 18, 27; 28, 30; vox ܕܒܪ vero pro graeco παραλαμβάνειν legitur Mth. 2, 21; 26, 37, Mr. 10, 32; pro simplice λαμβάνειν usurpatur ܢܣܒ Mth. 17, 27; 26, 26 λάβετε, φάγετε ܣܒܘ ܐܟܘܠܘ; apoc. 6, 4 λαβεῖν τὴν εἰρήνην ܢܣܒ ܫܝܢܐ; cf. προσωποληψία ܢܣܒ ܒܐܦܐ 1 Petr. 1, 17. Scriptionem falsam ܡܬܐܠܝ Codd. β et γ emendant ܡܬܠܐܝ. Vox ܫܪ quae in N. T. pro βεβαιοῦν ponitur Rom. 15, 8, 1 Cor. 1, 6, 2 Cor. 1, 21, Col. 2, 7 hic pro ἑδράζω adhibetur. Hoc verbum cum adj. ἑδραῖος Ignt. amat, Pol. 3, Eph. 10, ubi vario modo redditur, Pol. 3 et nostro loco ܫܪ adhibetur cf. 1 Cor. 7, 37, at Eph. 10, ἑδραῖοι τῇ πίστει ܐܫܬܪܪܘ ܒܗܝܡܢܘܬܐ armamini fide vertitur. Ut hic ܫܪܝܪ et ܕܠܐ ܡܬܠܐܝ sic et in N. T. conjunguntur pro ἑδραῖος καὶ ἀμετακίνητος 1 Cor. 15, 58, Col. 1, 23. Ἀκίνητος ܕܠܐ ܙܐܥ. Particula ܕܠܐ Syri graecum α privativum solent reddere, sic et noster Pol. 3 ἀόρατος ܕܠܐ ܡܬܚܙܐ,

ἀψηλάφητος ܕܠܐ ܡܬܓܫܫܢ, ἀπαθής ܕܠܐ ܚܫܐ, ἀκοίμητος ܕܠܐ ܕܡܟ. Ὑπερδοξάζω ܝܬܝܪܐܝܬ ܡܫܒܚ ܐܢܐ, anxie et praepositionem ὑπὲρ exprimit, quae alibi addito ܡܢ compensatur, bene addit Syr. ܠܐܠܗܐ quod Bunsenius, Peterm. et Lips. in textum receperunt. Καταξιοῦσθαι ܐܫܬܘܝ; radice ܫܘܐ ἄξιος cum compositis cf. cap. I. ubique redditur in his epistolis.

Mirum in modum hic Armenius cum Syr. nostro convenit, sic habet pro ἀποδεχόμενος acceptabilis apud me = ܡܩܒܠ ܠܝ, sic pro participio graeco ἐν θεῷ ἡδρασμένην relativum adhibet: quae firmata est in deo = ܕܒܐܠܗܐ ܡܫܪܪ sic addit θεὸν glorifico deum = ܠܐܠܗܐ. Apparet eum textum Syr. vertisse. Sic et infra παρακαλῶ vertit: Jam vero peto a te = Syr. ܒܥܐ ܐܢܐ ܕܝܢ ܡܢܟ, qui et hic usum Pesch. est secutus, παρακαλεῖν enim est ܒܥܐ ܡܢ act. 2, 40; 16, 9; 19, 31, 1 Cor. 4, 13, Hebr. 3, 13, 2 Cor. 5, 20 etc. rarius ܒܐܐ act. 16, 40, Rom. 12, 8. Pro ܒܥܐ ܡܢ Syr. habet ܨܠܝ et Arm. pete pro filiis hominum (omisso ܡܛܠܬܗܘܢ); Lipsius inde restituit ὑπὲρ πάντων προςεύχεσθαι, at ni fallor errore, ܒܥܐ enim non habet notionem precandi, quam habet ܨܠܝ, equidem ܨܠܝ vitium habeo. Vox σώζωνται redditur ܕܢܚܘܢ, arm. ut vivant, sed et hic est usus vers. simpl. quae pro σώζεσθαι ponit ܚܐ et pro σώζειν ܐܚܝ cf. e. g. Mth. 10, 22; 18, 11; 24, 13, 22, Mrc. 10, 26; 13, 13, 20; 16, 16, Luc. 8, 12; 9, 34; 19, 10, Joh. 5, 34; 10, 1, act. 15, 1, Rom. 5, 10; 10, 9, 13, Hebr. 7, 25. Non igitur Syr. a Graeco recedit, ut Lips. p. 184 videtur statuere, sed eum accuratissime expressit.

Ἐκδίκει σου τὸν τόπον ܬܒܘܥ ܘܠܘ̈ܬܐ Arm. expete convenientia. ܘܠܘ̈ܬܐ in Pesch. Rom. 2, 18 respondet graeco διαφέροντα, et act. 18, 14 κατὰ λόγον exprimitur ܟܘܠܘ̈ܬܐ; *B.* Alius dicit: ܘܳܠܝܳܐ ܐܘ ܘܳܠܘ̈ܳܬܳܐ واجب لايق ܐܘ ܘܳܠܝܳܘܬܳܐ واجبة لايقة ܘܳܠܘ̈ܳܬܳܐ وجب الشي ووجوب, respondet igitur graeco δεῖ pro quo et vere legitur Joh. 3, 7 δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν ܘܠܐ ܠܟܘܢ ܠܡܬܝܠܕܘ ܡܢ ܕܪܝܫ. Lipsius in textum suum recepit πρέπον ex Petermanni conjectura, quae nobis eam ob causam non videtur apta, quod Syrus hanc vocem, ut alias quas supra vidimus, secundum usum peschitthonianum reddit ܝܐܐ cf. Mth. 3, 15, 1 Cor. 11, 13,

Eph. 5, 3, Tit. 2, 1, Pol. cap. 5 *πρέπει τοῖς γαμοῦσι κτλ.* ܠܐ ܠܓܒܪܐ. Ceterum et Pearsonus demonstravit vocem *τόπος* significare dignitatem et munus Clem. Rom. p. 58, 7, Orig. in Mth. p. 279 et *ἐκδίκειν* est servare defendere Luc. 18, 3, Eus. *H. E.* 6, 43. Et apud Latinos locus usurpatur pro dignitate Cypr. ep. 15; 16 etc. *Τόπος* igitur est servandum, et loci quos Curet. affert in notis p. 265 hanc opinionem magis confirmant, quum in ep. ad Heronem p. 141 nostrum *τόπος* voce *ἀξίωμα* quasi explicetur. Quod denique dicit hunc vocis *τόπος* usum seriorem esse non magni est ponderis quum non dici queat, quo tempore epp. Ignt. sint compositae, quarum authentia non constat. *Πάντων ἀνέχου* ܥܡ ܟܠܗܘܢ ܐܓܪ ܪܘܚ Arm. liberius: patiens esto, phrasis syr. repetita est ex Hebr. 13, 22 cf. *μακροθυμία* ܡܓܪܘܬ ܪܘܚܐ Gal. 5, 22, Eph. 4, 2. *Προςευχαῖς σχόλαζε ἀδιαλείπτοις* ܐܬܐܡܢ ܒܨܠܘܬܐ. Verbum ܐܬܐܡܢ positum est ut Curet. p. 266 adnotat ut Col. 4, 2 *τῇ προςευχῇ προςκαρτερεῖτε.* Non autem cum Curet. et Lipsio censemus, verbum *ἀδιάλειπτος* a Syro esse omissum sive in codice non repertum; vertitur quidem ܕܠܐ ܫܠܘܐ sed scribitur et ܐܡܝܢܐܝܬ 1 Thess. 2, 13, 2 Tim. 1, 3, formâ ܐܬܐܡܢ Syr. igitur *ἀδιαλείπτως σχολάζειν* exprimit. Vox *σχολάζειν* in Pesch. vario modo redditur pro cujusvis loci nexu, Mth. 12, 44 ܣܪܝܩ alibi = *κενὸς* Luc. 20, 10, Rom. 4, 14, *κενοδοξία* ܫܘܒܚܐ ܣܪܝܩܐ Phil. 2, 3 sic et Syr. noster, quum certam vocem non habeat, sibi non stat, nam in fine epistolae *θεῷ σχολάζει* reddit ܠܐܠܗܐ ܡܦܢܐ ܕܢܥܒܕ. Addendum denique videtur, et in frgm. syr. Curet. p. 202. l. 10 ex initio epistolae ad Heronem p. 142 excerpto legi ܐܬܐܡܢ ܒܨܘܡܐ ܘܒܬܟܫܦܬܐ pro *νηστείαις καὶ δεήσεσι σχόλαζε,* quae verba sine dubio e loco nostro falsarius in ep. ad Heronem transcripsit.

Cap. II. *Παροξυσμοὶ* redditur ܓܪ̈ܐ Arm. abscissiones. In Pesch. *παροξυσμὸς ἀγάπης* Hebr. 10, 24 est ܓܘܪܓܐ ܕܚܘܒܐ incitamentum amoris et act. 15, 39 ܚܪܝܢܐ, contentio, lis = *ζήτησις* 1 Tim. 1, 4, *ἔρις* 1 Cor. 3, 3. Vox igitur in N. T. rara libere nec bene redditur, quo facto tota imago turbatur, neque enim ܡܚܣܢ ad abscissiones potest pertinere neque ܪܘܚܒܐ respondere gr. *ἐμβροχαῖς,* quae vox in N. T. omnino non le-

gitur, ideoque a Syro non accurate exprimitur. Armenius Syrum ad verbum reddidit, Syrus ipse duce Peschittho carens id quod Graeco inest peculiare perdidit. Petermanni conjectura ܠܘܪܢܐ videtur aptissima, at obstat ipsius Armenii testimonium. Ἔμπλαστρον non accurate ܣܡܐ redditur quod est pharmacum utroque sensu veneni et medicinae, quum arab. سم venenum tantum neque medicinam دَوَاء significet. Vox in N. T. obvia pro θανάσιμόν τι scribitur ܣܡܐ ܕܡܘܬܐ Mrc. 16, 17. In seqq. φρόνιμος γίνου κτλ. sequitur vers. simpl. singularem vero libri graeci restituit. Mth. 10, 26, et vocem raram ἀκέραιος ܬܡܝܡܐ reddit ut Phil. 2, 15. Verba ܐܝܟ ܕܡܬܚܙܝܢ graece non leguntur. Sine dubio Bunsenius recte vidit pro εἰςαεὶ Syrum legisse εἰς ἃ δεῖ. Tamen haec vix lectio primaria est, quum locus notissimus non facile praesertim sine causa mutetur. Nobis vero inde colligendum est, jam Syri textum fuisse corruptum, Lips. p. 136, nam lectio originalis videtur fuisse ὡς ἡ περιστερὰ *B*, deinde ὡςεὶ *A*, tum εἰςαεὶ ὡς ἡ περ. *B*, denique apud Syrum εἰς ἃ δεῖ ὡς ἡ περ. Verba ܕܦܓܪ ܘܪܘܚ non respondent verbis *B* ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, sed verb. πνευματικὸς καὶ σαρκικὸς ut in Pesch. 1 Cor. 9, 11, Rom. 7, 14 (ܕܒܣܪ) 1 Petr. 2, 11. Alibi legitur ܪܘܚܢܐ et ܦܓܪܢܐ 1 Cor. 3, 1. Κολακεύης ܡܦܝܠ ܠܗܘܐ = פָּתָה 2 Sam. 3, 25, 1 reg. 22, 20, Prov. 1, 10 in N. T. est δελεάζω 2 Petr. 2, 14, 18, pellicio. Liberius δελεάζω Jac. 1, 14 redditur ܐܬܢܓܕ quod est vapulavit act. 16, 23, 2 Cor. 11, 25. Syr. in loco difficili Graecum ad verbum reddidit, Arm. vero parum accurate ܣܓܠ vertit acquirere, lucrari. Nobis neque lectio *B* ἐπανορθώσῃς nec Toupii conjectura κολάζῃς placet, nam membrum oppositum ἵνα σοι φανερωθῇ voci κατέχειν simile quid postulat; sensus hic debet esse: Quae aperta sunt tene, quae abscondita sunt pete, ut revelentur. Id vero graeco κολακεύω potest exprimi, quae vox Isocr. 4, 155 est adulando acquirere = δελεάζω, ܣܓܠ. Lectio igitur graeca est sana, quamvis enuntiati sensus non clare sit propositus[1]). Phrasis ܐܝܟ ܕܟܣܝܢ pro τὰ ἀόρατα repetita est ex Pesch. Rom. 1, 20 τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ ܟܣܝܬܗ ܕܐܠܗܐ; ce-

[1]) Cf. Uhlhorn in Niedner, Ztschft. 1851, p. 25.

terum *ἀόρατος* vertitur ܕܠܐ ܡܬܚܙܝܢܐ Col. 1, 15, 1 Tim. 1, 17, Hebr. 11, 27. Vox *χάρισμα* ut hic, sic et in Pesch. redditur ܡܘܗܒܬܐ 1 Cor. 12, 4, 9, 28; 1 Tim. 4, 14 etc. Syri pluralem ܡܘ̈ܗܒܬܗܘܢ pro *χαρίσματος* et Arm. exhibet. Quae sequntur infra tractabuntur.

Τὸ θέμα ἀφθαρσία καὶ ζωὴ αἰώνιος ܡܕܡ · ܕܡܠܟ ܠܗ ܚܝ̈ܐ ܗܘ ܕܠܥܠܡ ܕܠܐ ܚܒܠܐ; *θέμα* est pretium athletis propositum = *βραβεῖον* ܙܟܘܬܐ 1 Cor. 9, 24; hoc sensu legitur libr. Sibyll. II, vs. 46, 49:

. . . Χριστὸς τούτοις τὰ δίκαια βραβεύσει
καὶ δοκίμους στέψει, αὐτὰρ θέμα μάρτυσι δώσει.

cf. et Bockh. Corp. inscript. II. 507. Vocem in N. T. non obviam Syrus libere reddit ܕܡܠܟ ܠܗ; Arm. legit ܕܡܠܟ ܠܗ quidquid promisit, servavit tamen inversum Syri ordinem, qui vocem ܕܠܐ ܚܒܠܐ eam ob causam videtur postposuisse ut relativum ܕ ad ܚܝ̈ܐ referatur. ܕܠܐ ܚܒܠܐ sine corruptione = *ἀφθαρσία* 1 Cor. 15, 42, 50, 53; Eph. 6, 24.

Cap. III. *Οἱ δοκοῦντες ἀξιόπιστοι εἶναι* ܐܝܠܝܢ ܕܡܬܚܫܒܝܢ ܕܐܝܬܝܗܘܢ ܡܕܡ ad verbum e loco Gal. 2, 6 est repetitum (Peterm. affert Gal. 6, 3) Arm. Syrum vertit. Non igitur cum Lipsio in textu graeco *εἶναι τι* debet restitui quum Syrus, cujus animo locus biblicus obversabatur textum libri graeci non accurate reddidisse videatur. *Ὡς ἄκμων* ܐܝܟ ܥܠܝܡܘܬܐ. Curet. in notis censet Syrum pro *ἄκμων* legisse *ἀκμαστὴν* sive *ἀκμάζοντα*. Non dixerim hoc enim esset ܥܠܝܡܐ, deinde verba *ἀκμαστὴς* et *ἀκμάζων* non sine nomine ut *νεανίσκος* bene possunt poni. Pro ingenio potius Syrus textum videtur mutasse, ut imaginem Graeci diffusum accuratius reddat. Vox ܠܩܐ pro *δέρεσθαι* legitur Pesch. Luc. 12, 47. *Καταμανθάνω* in Pesch. Mth. 6, 28 est ܐܬܒܩܘ hoc uno autem loco legitur, Syr. igitur qui usum constantem non invenit liberius scribit ܐܬܒܩܝ. Denique ܡܣܟܐ exspectans = *προςδοκᾶν* act. 28, 5, 6, Mth. 11, 3, Luc. 7, 19.

Cap. IV. *Ἀμελείσθωσαν* ܢܬܒܣܡܘܢ. In Pesch. sic *ἀμελεῖν* solet reddi cf. Mth. 22, 5, 1 Tim. 4, 14, Hebr. 2, 3; 8, 9 (2 Petr. 1, 12 *οὐκ ἀμελήσω* est ܠܐ ܐܬܒܣܡ non desinam). Tota phrasis ܐ̈ܘܠܝܬܐ ܠܐ ܬܒ ܒܣܡܘܢ exstat act. 6, 8, ubi Graeci plangunt ܕܬܒ ܒܣܡܘܢ ܗܘܘ ܐ̈ܘܠܝܬܗܘܢ. *Μετὰ τὸν κύριον* ܡܛܠ ܡܪܢ. Curet. soni similitudine pellectum Syrum ܡܛܠ scripsisse censet, at quum alibi accurate vertat, non dubitamus, quin *διὰ*

legerit et intellexerit propter Deum, secundum Dei voluntatem. *Φροντιστὴς* ܝܨܘܦܐ. Vox ܝܨܦ anxius fuit in Pesch. sensu curandi usurpatur = *μεριμνᾶν* Mth. 6, 34, Phil. 4, 6, *πρόνοιαν ποιεῖσθαι* Rom. 13, 14, *σκοπεῖν* Phil. 2, 4. Vox *φροντίζειν* semel legitur Tit. 3, 8 ubi ܢܬܒܛܠܘܢ redditur = Rom. 12, 17 *προνοεῖσθαι*. *Ἄνευ γνώμης σου; γνώμη* ubi est voluntas redditur in Pesch. ܪܥܝܢܐ 1 Cor. 7, 40; 1, 10, ubi vero est consilium, decretum vertitur ܨܒܝܢܐ apoc. 17, 17 sive ܡܠܟܐ 1 Cor. 7, 25, 2 Cor. 8, 10, Philem. 14. Pro *εὐσταθὴς* cum *B*, Arm, Syro ܩܘܡ ܡܬܩܢܬ *εὐστάθει* restituendum est. *Πυκνότερον* hic ut in Pesch. exprimitur ܐܡܝܢܐܝܬ, ܐܡܝܢ cf. act. 24, 26, Luc. 5, 33, 1 Tim. 5, 23. *Ἐξ ὀνόματος πάντας ζήτει*, exemplum quam accurate Syr. verterit, *ἐξ ὀνόματος* enim ܡܢ ܫܡܗ adeo graecum est, ut syriace intelligi vix queat. *Μὴ ὑπερηφάνει* ܠܐ ܬܬܪܘܡ. ܒܣܐ simili modo Mth. 6, 24 est *καταφρονεῖν* de servis, quem locum Syr. fortasse in memoria habuit, sed et pro *ὑπερηφανία* legitur ܪܘܡܐ Mrc. 7, 22. Deinde deest objectum vocis ܬܬܪܘܡ fortasse ܡܪܝܗܘܢ Col. 3, 22; hanc vocem vero adhibuit, ut vim oppositionis augeat, ceterum pro *φυσιόω* in Pesch. ponitur ܚܬܪ 1 Cor. 8, 1; 4, 18; 13, 4. Vox *ἐράτωσαν*, quam Graeci pro *ἐπιθυμεῖν* adhibent Sophocl. Antg. 90, 220, Aristph. Aves 135, a Syro vertitur ܪܓܝܓܘ, quod verbum apud Syros amandi tantum significationem habet, quum pro *ἐπιποθῶ* Rom. 1, 11 ܣܘܐ legatur. En quatenus Syrus Graeci vestigia presserit. *Ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* ܡܢ ܟܘܢ de communi scil. pecunia cf. Orig. commt. in Math. tom. XV. Armenius hoc non intelligens perperam vertit e communi servitute.

Cap. V. *Κακοτεχνίας* ܢܟܠܐ ܒܝܫܬܐ. *Κακοτεχνίαι* in N. T. non exstat ܢܟܠܐ vero Eph. 6, 11; 4, 14 pro *μεθοδεῖαι* pravae artes ponitur, hunc usum Syr. est secutus. Verba *ὁμιλίαν ποίει* Syr. expressit ܗܘܐ ܡܡܠܠ, nomen quidem *ὁμιλία* in N. T. nondum legitur, *ὁμιλεῖν* vero colloqui in Pesch. est ܡܠܠ. *Προσλαλεῖν* ܐܡܪ et *παραγγέλλειν* ܦܩܕ, reddit ut in Pesch. fieri solet, Mth. 10, 5, Mrc. 8, 6, Luc. 5, 14, act. 1, 4; 4, 18; 5, 28, 1 Cor. 7, 10. Armenius Syrum vertit, tamen ejus interpunctio-

nem neglexit. Ἀγαπᾶν τὸν κύριον ܒܡܪܢ. *A. B.* Arm. accusativum habent, unus Syrus legit ἐν τῷ κυρίῳ. Nos cum Petermanno restituendum censemus ܠܡܪܢ quum Arm. Syrum vertens ita legerit, et quum ܒ videatur emendatio scribae, qui hoc membrum sequenti ܒܫܘܒܚܗ ܕܡܪܢ aequale reddidit, ubi omnes testes inter se conveniunt. Cod. β deinde objectum ܠܒܥܠܝܗܘܢ addidit, quod si ܒܡܪܢ legitur desideratur. Ἀρκεῖσθαι ut in Pesch. redditur ܡܣܦܩ Mth. 10, 25; 25, 9, Luc. 3, 14, 1 Tim. 6, 8, Hebr. 13, 5, 1 Tim. 5, 16. Ceterum scriptor imitatus est locum Eph. 5, 21. Vox σύμβιος, in N. T. non obvia libere redditur ܠܒܥܠܝܗܘܢ unde Armenii versio „operibus" facile explicatur, legit ܠܒܥܒܕܝܗܘܢ, quum in codicibus antiquis littera Ee saepe infra lineam protracta sit[1]). Εἴ τις δύναται ܡܨܐ ܚܝܠܐ. Verbo ܡܨܐ in Pesch. saepe additur ܚܝܠܐ Eph. 3, 20, Hebr. 4, 15, Job. 42, 4. Vox ܕܟܝܘܬܐ, quae est εἰλικρινεία 1 Cor. 5, 8; 7, 7 pro ἁγνεία legitur 1 Tim. 4, 12 et 5, 2 ubi ad castitatem referri debet. Εἰς τιμὴν τῆς σαρκὸς ܠܐܝܩܪܐ ܕܦܓܪܗ; σαρξ redditur ܦܓܪܐ neque ܒܣܪܐ, ubi de corpore Christi morti tradito est sermo, Joh. 6, 51—56, 63; Armenius et hic Syri corpus expressit. Ἀκαυχησία ܕܠܐ ܫܘܒܗܪܐ ut in Pesch. καυχᾶσθαι est ܫܘܒܗܪ 2 Cor. 5, 12; 9, 13.

De verbis πλέον τοῦ ἐπ. infra agetur.

Verbum πρέπει ut in Pesch. vertitur ܝܐܐ Eph. 5, 3, 1 Tim. 2, 10, Tit. 2, 1, Hebr. 2, 10, Mth. 3, 15, 1 Cor. 11, 13 contra δέον ἐστὶ et δεῖ voce ܘܠܐ exprimitur act. 19, 36, 1 Tim. 5, 13, Mth. 18, 33; 23, 23; Mrc. 13, 14, Luc. 2, 49 etc. Cf. quae supra de voce τόπος (ad Pol. cap. 1) adjecimus. Τοῖς γαμοῦσι καὶ τοῖς γαμουμέναις sic composita in N. T. non leguntur, quo duce destitutus Syr. liberius scribit ܠܓܒܪ̈ܐ ܘܐܢ̈ܬܬܐ ܕܡܙܕܘܓܝܢ, unde et Armenii „qui juncti sunt" explicatur. Pesch. verba γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες vertit ܢܣܒܝܢ ܢܫ̈ܐ ܘܝܗܒܝܢ ܠܓܒܪ̈ܐ; ceterum in Pesch. γαμεῖν est ܢܣܒ ܐܢܬܬܐ Mth. 19, 10, Mrc. 12, 25, Luc. 17, 27, 1 Cor. 7, 28 etc. et γαμεῖσθαι exprimitur ܗܘܬ ܠܓܒܪܐ 1 Cor. 7, 39, Mrc. 12, 25; 10, 12. Μετὰ γνώμης ܒܡܘܠܟܢܐ, ܡܘܠܟܢܐ promissio, ἐπαγγελία Rom. 4, 13; 9, 14 hic

[1]) Infra recte τὰς συμβίους e Syro vertit uxores, ܢܫ̈ܐ.

ἀψηλάφη
Ὑπερδοξ
exprimit
Syr. ܠܘܬ
perunt.
tis cf. ca

Miri
sic habe
sic pro
bet: qu
glorifico
Sic et
ܐܝܟ ܗܘ
enim es
3, 13, 2
ܚܕܐ ܥܡ
(ܠܗܘܢ);
ni fallo
habet

tur ܥ
quae p
10, 22
Luc. 8.
5, 10;
cedit,
expres

Ἐλ
tia. ܐܠ

et act
وجب
وجوب
tur J
ܘܪܗ.
conje
Syrus
usum

admodum in textu gr. scriptor locum Eph. 6, 13 est imitatus, sic et Syr. inde mutuavit singula verba, περικεφαλαία ܣܢܘܪܬܐ Eph. 6, 17, πανοπλία ܟܠܗ ܙܝܢܐ vs. 13, δόρυ ܪܘܡܚܐ vero in N. T. non legitur, pro כִּידוֹן ponitur Jos. 8, 18, ܙܝܢܐ ὅπλα ubique legitur Joh. 18, 3, 2 Cor. 10, 4 etc. Quod Syr. addit ܢܗܘܐ ܥܡܟܘܢ sive ܠܘܬܟܘܢ (cod. β et γ) inde originem duxit, quod pro μενέτω scripsit ܢܗܘܐ, quae vox pronomine vobis non bene potest esse destituta.

Ut latinum desertor, sic et ἄκκεπτα et δεπόσιτα non accurate vertit Syr.; hoc enim est ܓܢܙܝܟܘܢ Arm. thesauri, illud circumscribit ܕܬܩܒܠܘܢ ܡܘܗܒܬܐ Arm. cum Syro denique voci ܠܓܢܙܝܟܘܢ adjicit ܛܒܐ. Ceterum Syr. qui verba latina non bene intellexit sensum enuntiati turbavit. Scribit enim: thesauri vestri sint bona opera ܕܬܩܒܠܘܢ ܡܘܗܒܬܐ ܕܐܠܗܐ ܐܝܟ ܕܘܝܐ i. e. ut accipiatis donum dei sicut par est. Graecus vero imaginem de re militari desumtam continuat, id quod e versione syriaca non amplius potest cognosci. Deposita enim sunt dimida pars stipendiorum, quae apud signa militibus servabantur, qui reduces ex expeditione accepta (sic deposita ab iis nominabantur, qui acceperant ea) sua domum referebant. Jam apparet hic non de ܡܘܗܒܬܐ ܕܐܠܗܐ posse cogitari, quod Syrus posuit pro difficili τὰ ἄκκεπτα.

Ab initio hujus capitis scriptor pluralem adhibuit, Smyrnaeos scilicet allocutus; itaque et hic scribit μακροθυμήσατε ܢܗܘܐ ܢܓܝܪ ܪܘܚܟܘܢ, qua de phrasi cfrantur, quae supra dicimus p. 31. Ὀναίμην ܐܢܐ ܪܘܐ vertitur ut in ep. ad Rom. 5. In N. T. vox semel obvia Philm. 20 redditur ܐܬܗܢܐ. Ἐξουσία denique ܫܘܠܛܢܐ et in Pesch. legitur Mth. 7, 6, 8; 10, 1; 21, 23, Mrc. 6, 7, act. 8, 19; 9, 14, 2 Cor. 13, 10. Sub finem Syrus addit verba ܕܐܢܐ ܥܡܟܘܢ ܐܝܟ ܕܦܩܕܬ, quibus ad singularem redit, quem supra ut Graecus omiserat. Notandum denique est Syri ultima verba, quae graece non leguntur, referenda esse ad Ignatii jussum cap. 7 ep. gr. propositum, quem Syr. ipse non praebet. Syrus itaque ipse hoc loco minime videtur integer. Cf. contra Lipsium in Niedner, Ztschrft. für hist. Theol. 1856, 1, p. 99.

Jam hac epistola examinata et Syri naturam perspeximus; gravissima quae cognovimus haec sunt:

I. Vertit Syrus quatenus fieri potest *κατὰ πόδα* librum graecum.

II. Verba graeca iis syriacis reddit, quibus in versione novi testamenti simplice solent reddi.

III. Ubi verba occurrunt, quae in N. T. non leguntur plerumque scriptorem bene intelligit, quamvis et ab erroribus non ubique sit alienus.

IV. Vertit textum recensionis minoris graecae, a quo lectionibus tantum quibusdam recedit, id quod non est mirum, quum supra viderimus, jam antiquissimo tempore textum admodum fuisse dubium.

V. Armenius totus de Syro pendet, quocum vel in rebus minimis convenit, tamen secundum librum graecum est emendatus.

Quae hucusque vidimus insequente examine critico epp. ad Ephesios et Romanos datarum etiam confirmabuntur. Antequam tamen hoc opus aggredimur, inquirere juvabit in naturam fragmentorum epistolae nostrae, quorum exstant quatuor. Tria reperta sunt in Msc. Parisiensi a Munkio (Curet. p. 342) descripto, quartum in libro Londinensi (Curet. p. 355) quod Severi Antiocheni opera quaedam continet.

Fragmentum primum Pol. 3, Curet. p. 198 cum textu nostro fere convenit, at pro ܐܠܗܘܬܐ semel exhibet ܚܝܠܐ, praeterea bis addit particulam ܕܝܢ et semel part. ܐܝܟܢܐ. Quod ad ܚܝܠܐ, glossa est vocabulum alienum explicans, non enim sibi stat scriptor, qui statim pergit ܕܐܠܗܘܬܐ, alterum ܕܝܢ respondit graeco δὲ a Syro Curet. omisso. Quod vero ad alterum ܕܝܢ et ad ܐܝܟܢܐ, non erat moris apud homines antiquos locos àccurate describere, et codex e quo haec sunt desumta, nil continet, nisi collectionem locorum e variis scriptoribus excerptorum.

Secundum fragm. Pol. 6, Curet. p. 198 pro ܣܠܩ ܢܫ̈ܩܠܘܢ habet ܢܫܩܠܘܢ, quam lectionem et Arm. est sècutus (vide supra), e connexu vero cernitur hanc lectionem esse respuendam. Tertium fragm. exhibet locum cap. 7, Curet. p. 200, 1, 27, quem Syr. Curet. omisit. Armenius, qui Syr. Curet.

vertit, cum hoc frgm. erit conferendus, quocum si convenit, non licet dubitare quin Syro Curet. sit adtribuendum. Et re vera ab eo non recedit nisi rebus minimis, quo accedit, quod et in singulis verbis eandem vertendi rationem invenimus, quam in Syro Curet. deprehendimus. *Πρέπει* enim vertitur ܝܐܐ ut Pol. 6, *θεοπρεπέστατε* ܝܐܐ ܠܐܠܗܐ, *συμβούλιον ἀγαγεῖν* ܟܢܫ ܒ̈ܢܝ ܡܠܟܐ ܠܡܬܡܠܟܘ cf. p. 35. Cum Syr. et Arm. addit consiliarios ܒ̈ܢܝ ܡܠܟܐ. *Ὃν ἀγαπητὸν λίαν ἔχετε* Syr. ܕܗܘ ܚܒܝܒ ܠܟܘܢ unde Arm. repetivit versionem suam (plurali male posito) qui valde dilecti vobis sunt. *Ἄοκνος* in N.T. non obvium redditur ܕܠܐ ܡܛܠܝܘܬܐ cujus loco Arm. qui vertit virtute praeditos legisse videtur: ܕܠܗܘܢ ܡܫܪܪܘܬܐ. Pro graeco *θεόδρομος καλεῖσθαι* Syr. habet legatus dei esse et nominari ܕܢܗܘܐ ܘܢܬܩܪܐ ܐܝܙܓܕܐ ܕܐܠܗܐ, quocum Arm. versio fieri praecursores magis convenit quam cum graeco. Vox ܢܗܘܐ fortasse glossa est. In seqq. Arm. omisit verba ܡܫܬܟܚܘ — ܗܢܐ, quibus quae in textu graeco impedita videntur (*τοῦτον καταξιῶσαι* omisso *καὶ*) vertuntur. Cum Syro deinde pluralem habet ܕܢܫܒܚܘܢ graec. *ἵνα δοξάσῃ*, sicut et supra pluralem semper posuit Arm. In seqq. ܠ voci ܕܪܚܡܬܟܘܢ melius additur, quod frgm. omisit, ܠܝ autem in fragm. positum in textu Syri Curet. debuit elidi quod non habet quo referatur. Sub finem Arm. Syr. Graec. inter se conveniat, de *σχολάζειν* cf. p. 31. Sicut Arm. huic fragmento simillimum habuisse debet textum, sic et quoad fieri potest, videmus eandem versionis indolem eandemque singula verba adhibendi rationem, quam in Syro Curet. invenimus. Non igitur in temeritatis opprobrium incurrere putamus, si hoc frgmtum eidem manui tribuimus, cui et reliqua, quae hucusque tractavimus, debentur. Hoc eo magis comprobatur, quum quarto fragmento aliam versionem habeamus, cujus indoles a nostra est diversa. Exhibet enim locum ad Pol. 3 quem syriace habemus, Curet. p. 213, a quo non minus octo locis recedit, inter quos memoratu dignissimum videtur, adjectiva verbalia *ἀψηλάφητος*, *ὁρατὸς* rell. non participiis reddi, sed formis in ܢܐ e. g. ܡܬܡܫܚܢܐ, ܡܬܓܫܫܢܐ sive forma ܡܬܚܙܝܢܐ ut ܚܫܘܫܐ, quae versio accuratior est habenda. Denique hoc fragm. non prorsus cum Arm. convenit, qui textum Syri Cu-

retoniani praebet. Praeterea notandum est hanc versionem ante initium saeculi sexti esse confectam, quum Severus inter cujus opera frgm. est inventum 513—519 Alexandriae fuisset patriarcha.

Sic igitur frgm. quaedam Syr. Curet. sunt adnumeranda, quaedam ad eum non pertinent, gravissimum vero est, ad fragmenta Syri Curet. pertinere locum Pol. 7 quem in fine epistolae ipse respicit, unde jam nunc statuendum nobis est, Syrum Cureton. ipsum Codicibus *α*, *β*, *γ* non praeberi integrum.

II. Epistola ad Ephesios.

Inscriptio. *Προωρισμένη πρὸ αἰώνων* ܦܪܝܫܐ ܡܢ ܥܠܡܐ separata a saeculis, *προωρίζω* in N. T. est ܪܫܡ act. 4, 28, Rom. 8, 29, Eph. 1, 5, 11, loco vero notissimo 1 Cor. 2, 7 legitur ܦܪܫ idemque pro *ὥρισε* legitur act. 11, 29; ܦܪܝܫܐ graeco *προωρισμένη* non respondet. Arm. versio benedicta e syr. lectione explicatur, pro ܦܪܝܫܐ legit ܒܪܝܟܐ. *Παράμονος* ܕܡܩܘܝܐ, ut ܩܘܐ in Pesch. est *παραμένειν* Hebr. 7, 23, 1 Cor. 16, 6, Jac. 1, 25. Verba *ἄτρεπτος*, *ἡνώμενος*, *παράμανος* in N. T. non leguntur. *Ἐκλέγειν* ܓܒܐ ut in Pesch. et frgm. syr. Pol. 7, Curet. p. 200. *Ἐν πάθει ἀληθινῷ* ܒܚܫܐ ܕܫܪܪܐ. Lips. secundum Syrum emendat *ἐν προθέσει*, tamen quum *A B* Arm. *πάθος* exhibeant, Syri lectionem falsam habemus, nam ܣ et ܚ facillime commutantur. Cf. e. g. Bernsteinii chrestom. syr. p. 45 l. 8 pro ܙܦܘܣܐ = pers. سرنای bucina legendum est ܙܦܘܚܐ alapa. Ceterum syr. ܚܫܐ esse propositum, negari non potest Lips. p. 6 not. cf. praeter locos a Lips. allatos Bernst. chst. p. 45 l. 15; 47 l. 18 etc.

Cap. I. *Ἀποδεξάμενος* cf. Pol. 1; *τὸ ὄνομά σου* ܫܡܟܘܢ, apparet Graecum errasse, tamen Armenio teste singl. et libri syr. habuerunt. *Φύσει δικαίᾳ* ܒܟܝܢܐ ܕܟܝܢܐ ܟܐܢܐ ܘܙܕܝܩܐ, glossa e margine in textum irrepsit Lips. *Μιμηταὶ* ܡܬܕܡܝܢܐ ut in Pesch. Hebr. 6, 12, ܕܡܝ *μιμεῖσθαι* Hebr. 13, 7. *Ἀναζωπυρεῖν* 2 Tim. 1, 6 est ܐܚܡܝ, nostrum vero ܢܚܐ act. 28, 25 pro *ζέω* ponitur. *Συγγενικὸς* in N. T. non legitur, *συγγενὴς* vero est ܐܚܝܢ Mrc. 6, 4, Luc. 1, 36; 21, 11, Joh. 18, 26, Rom. 9, 3.

Τελείως a Syr. non accurate redditur ܒܥܓܠ, vox autem in N. T. semel tantum est 1 Petr. 1, 13 ubi Pesch. ܒܚܦܝܛܘܬ posuit. Lips. in textum graecum posuit *σπουδαίως*, sed errore puto, in Pesch. enim quae nostrae versionis est norma ܠܥܓܠ et ܒܥܓܠ ponitur pro *ταχὺ* et *ταχέως* cf. Mth. 28, 7, 8, Mrc. 9, 39, Joh. 11, 28, apoc. 2, 5, 16; 3, 11, Mth. 5, 25; *σπουδάζω* vero et *σπουδαῖος* sive derivatis verbi ܚܦܛ sive voce ܐܬܚܦܛ redditur, ܚܦܛ 2 Cor. 8, 17, Phil. 2, 28, 2 Tim. 1, 17, Eph. 4, 3, ܐܬܚܦܛ Tit. 3, 12, 13, Gal. 2, 10 *σπουδάζειν* et *τάχέως* conjuncta leguntur 2 Tim. 4, 9 ubi Syr. habet ܬܬܚܦܛ ܠܝ et ܒܥܓܠ. Censemus Syr. pro *τελείως* in suo textu invenisse *ταχέως*. Pro ܒܣܘܡܐ sine dubio cum Curet. Peterm. Lips. ܒܘܣܡܐ legendum est. Insequentis enuntiati apodosiu, quae in libr. gr. aegre desideratur, Syrus addidit, at non proprio Marte, quum Latinus *A* eandem praebeat, repondit enim latin. videre festinatis syr. ܘܠܡܚܙܝܢܝ ܕܠܐ ܐܬܬܚܦܛܬܘܢ Arm. et vos studuistis (ܐܬܬܚܦܛܬܘܢ) recreare me legisse videtur ܠܡܢܝܚܘܬܝ pro ܠܡܚܙܝܢܝ Peterm. Vel insequens enuntiatum est antapodoton, imo apud Syrum, qui Graecum accurate exprimit, eum igitur locum praecedentem non emendasse videmus, quo facto textui gr. cum Curet. et Lips. *με ἰδεῖν ἐσπουδάσατε* est inserendum.

Cap. III. *Παρέλαβον* ܩܒܠܬ ut in Pesch. Mrc. 14, 8, Gal. 6, 1, 1 Cor. 11, 21. *Παρακαλεῖν* ܒܥܐ ܡܢ vid. p. 30, *γνώμη* ܪܥܝܢܐ p. 34. *Συντρέχειν* quod Pol. 6 exprimitur ܗܘܘ ܥܡ ܚܕܕ̈ܐ hic est ܐܬܬܚܦܛ, quod vox graeca non sensu proprio est posita, interpres noster non dormitat.

Cap. VIII. *Ἔρις ἐνείρισται, B ἐπιθυμία ὑπάρχει* Syr. ܢܨܒܐ ܡܕܡ ܡܢ ܪ̈ܓܝܓܬܐ Arm. plantatum quidquam e concupiscentiis mundi. Quid sit *ἐνείρισται* difficile est dictu, videtur redire ad *ἐνερίζω:* si nulla lis in vobis litigatur, at perfectum debet esse *ἐνερήρισται* sive *ἐνήρισται*, praeterea et composit. *ἐνερίζω* apud scriptores non invenitur. Latin. *A* complexa est et *B ὑπάρχει* vocem non videntur intellexisse. Huc accedit quod *ἔρις A* videatur genuinum, quamvis *B* et Syr. *ἐπιθυμία* praebeant, vide infra. Si e Syri versione conjici licet lectio primaria fuit *ἐρρίζωται* sive *ἐνερρίζωται*, quod compositum alibi

non exstat. Itaque legendum esset *ὅταν μηδεμία ἔρις ἐν ὑμῖν ἐνερρίζωται.* Sic apud Siracidem 3, 28 legitur *φυτὸν πανηρίας ἐρρίζωκεν ἐν αὐτῷ* sic et in N. T. Eph. 3, 18 *ἐν ἀγάπῃ ἐρριζωμένοι* Pesch. ܗܘܘ ܫܪ̈ ܫ̈ ܒܫܪ̈ܫܝܟܘܢ Col. 2, 7 *ἐρριζωμένοι ἐν αὐτῷ* ܟܕ ܡܫܪܪܝܢ ܫܪ̈ܫܝܟܘܢ ܒܗ. Syrus igitur nobis lectionem rectam videtur servasse et Armenius proprio Marti apposuit vocem mundi.

Βασανίζειν vertit ܫܢܩ ut in Pesch. solet verti apoc. 9, 5; 12, 2, Mth. 8, 29, Mrc. 5, 7, Luc. 8, 38, apoc. 11, 10; 14, 10; 20, 10; 2 Petr. 2, 8. *Περίψημα* ܚܕܘܬܐ. *Περίψημα* 1 Cor. 4, 13 redditur ܟܘܦܪܐ = כֹּפֶר, quod Syr. prov. 21, 28 vertit ܚܘܠܦ = *κατάλλαγμα* (Hesych. *περίψημα· ἀντίλυτρον, ἀντίψυχον*). Sicut hic, sic neque Eph. 18 vocem Syr. recte reddidit (contra Lips. p. 140). Nunquam *περίψημα τοῦ σταυροῦ* potest esse ܣܡܝܪܐ ܕܘܣܝܢ ܠܨܠܝܒܐ. Tamen non censemus Syrum hoc loco pro *περίψημα* legisse *περιχάρεια*, sed rectum Lipsius p. 141 not. ipse proposuit. Mente enim Syr. tenuit locum Pesch. Phil. 1, 4 ܘܥܡ ܚܕܘܬܐ ܡܬܟܫܦ ܐܢܐ quo e loco et vocem ܡܬܟܫܦ pro *ἁγνίζομαι* traxit. Hoc enim est *λειτουργεῖν* act. 13, 2 quum *ἁγνίζεσθαι* in Pesch. sit ܕܟܐ Joh. 11, 55, act. 21, 24; 24, 18. Sic versio Syri admodum a Graeco recedit, nexus enim Syri hic est: Si nulla cupido in vobis locum habet secundum deum vivitis. Gaudeo de vobis (scil. quod ita est) et precor pro vobis Ephesii ecclesia incyta omnibus saeculis. Cf. Philp. 1, 4 *μετὰ χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος.* Syrum locos biblicos memoria tenentem eos in suam versionem transferre, jam supra vidimus Pol. 3 cf. p. 33. Cum Syro et hic Arm. rem habet scribens: Gaudeo in vobis et supplico pro vobis.

Cap. IX. *Ἡτοιμασμένοι* ܡܛܝܒܝܢ ut in Pesch. Eph. 2, 10 cf. Pol. 7 ܐܬܛܝܒܘ ܡܛܝܒܝܢ ܕܢܥܒܕܘܢ. Verba *σχοινίῳ χρώμενοι* ܡܬܢܓܕܝܢ ܒܚܒܠܐ fune sublati Arm. omisit. ܡܬܢܓܠܝܘܬܐ Cod. γ ܡܢܓܠܝܘܬܐ in lexicis desideratur, et a Curet. in nota Your pulley explicatur, i. e. mola aquaria. De cognato ܕܓܠܬܐ Bar Al. dicit ܕܓܠܬܐ ܡܢ ܐܘܩ ܘܗܝ تعرف بدوالي وتسمى ايضا دوالي الما بهذا الاسم

Pro *ἀνασπᾶν* ܕܓܠ usurpatur Luc. 14, 5. Legendum igitur videtur ܡܕܓܠܢܐ *τὸ ἀνασπῶν* = *ὁ ἀναγωγεύς*. Cap. X. Syr.

omittit verbum ἐπιτρέψατε ܐܦܣܘ Mrc. 10, 4, Joh. 19, 38, 1 Cor. 16, 7, act. 26, 1; 27, 3 quod Armen. habet ideoque et Syr. habuisse debet. Syr. enim hoc loco est corruptus, quum sibi ipse contradicat. Nam quum dixerit ܠܟܠ ܠܗܘܢ ܬܝܒܘܬܐ non potest pergere; ex operibus potius vestris discipuli fiant, sed inserendum est ܕ (ܐܦ) ܘܐܦܣܘ, quo significetur, quum precibus tum bono exemplo incredulos in ecclesiam vocari. Etiam in seqq. Syr. omisit verba, quae omitti non debent. Graec. enim quinque exhibet membra parallela: πρὸς τὰς ὀργὰς αὐτῶν ὑμεῖς πραεῖς; πρὸς τὰς μεγαλοῤῥημοσύνας αὐτῶν ὑμεῖς ταπεινόφρονες etc. Syro desunt verba πρὸς τὰς ὀργάς, ita ut ad verbum μεγαλοῤῥημοσύνη duo adjectiva sint referenda πραεῖς et ταπεινόφρονες, quo facto ordo turbatur.

Μεγαλοῤῥημοσύνη redditur ܡ̈ܠܐ ܡܥܫܢܬܐ, e quo Lips. non in textu suo debebat restituere πρὸς τὰς ὀργὰς, ὀργὴ enim est ܪܘܓܙܐ, sicut pro θύμος in Pesch. solet poni ܚܡܬܐ. Contra eorum dura verba ܡܟܝܟܘܬ ܪܘܚܐ ܗܘܘ ܘܡܟܝܟܘܬܐ. Radix ܡܟܟ pro ταπεινόφρων et πραΰς ponitur, ubi tamen conjuncta leguntur verba ταπεινόφρων et πραΰς Eph. 4, 2, Col. 3, 12 prius est ܡܟܝܟܘܬ ܪܘܚܐ posterius ܢܝܚܘܬܐ, quem usum Syr. noster est secutus, cf. Pol. 6; βλασφημία in Pesch. solet esse ܓܘܕܦܐ Eph. 5, 31, Col. 3, 8, Mth. 12, 31 etc. Pro ܬܬܕܡܪܝܢ Curet. 1. Peterm. et Lips. bene restituunt ܬܬܕܡܪܘܢ, supervacaneum enim est Christianos monere, ne paganorum mores admirentur. Quae sequuntur ἀδελφοὶ αὐτῶν εὑρεθῶμεν τῇ ἐπιεικείᾳ absurda sunt, paganorum enim virtus non est ἐπιείκεια, Syrus bonum sensum praebet, sed dubitamus num ejus lectio sit primaria, Armenius enim ab eo recedit. Rectum fortasse servavit *B* ἀδελφοὺς ποιήσωμεν αὐτοὺς ἐπιεικείᾳ, suadet enim scriptor, ut operibus suis Christiani inimicos alliciant, id quod humanitate potissimum fit, cujus exemplar sub finem Christum ipsum proponit. Textui Syriaco tum sunt inserenda verba ܐܠܐ ܢܕܡܐ ܐܢܘܢ ܠܐܢܫ ܡܟܝܟܘܬܐ et in *A* restituendus est Indicativus ἠδικήθη etc. et fortasse cum Bunsenio legendum οὐ τίς πλέον κτλ. ܐܬܛܠܡ = ἀδικεῖσθαι 1 Cor. 6, 7 plerumque pro συκοφαντεῖν, πλεονεκτεῖν legitur Luc. 19, 8, 2 Cor. 7, 2, 1 Cor. 5, 10, 11; 6, 10; ܛܠܡ est ἀποστερεῖν Mrc. 10, 19, Jac. 5, 4; ܥܠܒ est

ἀθετεῖν 1 Cor. 1, 19, tamen et vice versa ܒܛܠ est ἀθετεῖν Luc. 7, 30, Mrc. 7, 9, Gal. 2, 21, 1 Tim. 5, 12 et ܛܠܡ ἀποστερεῖν 1 Cor. 6, 7, 8; 7, 5, 1 Tim. 6, 5.

Cap. XIV—XV. ܫܘܘܕܝܐ = ἐπαγγελία act. 1, 14; 2, 39; 1 Tim. 4, 8, plerumque vero ἐπαγγ. est ܡܘܠܟܢܐ Rom. 4, 20, 13—16; 1 Cor. 1, 20, Eph. 6, 2, Hebr. 11, 33. Quod vero ad nexum non possumus negare maximopere prolixum esse, qui enim antea dixit, si opinio nostra est recta: Allicite infideles lenitate, qua in re dominum imitamini, qui plurima est passus, non potest pergere: quod non promissio est res sed quod in vi fidei invenitur homo usque ad finem. Curet. qui in nota p. 284 nexum defendit vertit: for the mere profession of it is nothing, unless we continue stedfast in the practice of it even to the last, sed ἐπαγγ. et ܫܘܘܕܝܐ non est professio sed promissio, quo de verbo vis versionis Curet. pendet. Infinitivos σιωπᾶν καὶ εἶναι etc. Syr. bene exprimit enuntiato subordinato adhibita particula ܕ. Pro εἶναι Syr. scribit ܐܝܬܘܗܝ ܡܕܡ, quod et Armenius exprimit, cujus errorem (ἀκούειν pro σιωπᾶν) Peterm. emendat. Verba difficilia δἰ ὧν λαλεῖ πράσσῃ a Syro et Lat. commendantur, neque Bunsenii emendatione est opus, qui pro δἰ ὧν scribit ἅ, διὰ enim cum genit. rationem, cujus interventu aliquid est vel fit, indicat, ita ut respondeat latino secundum cf. Rom. 12, 3 διὰ τῆς χάριτος secundum gratiam. Gal. 4, 23.

Cap. XVIII. ܬܘܩܠܬܐ = σκάνδαλον ut Rom. 14, 13; 11, 9, Mth. 16, 23. Alibi legitur ܟܫܠܐ apoc. 2, 14, Gal. 5, 11, Rom. 9, 33 (ubi λίθος προςκόμματος est ܟܐܦܐ ܕܬܘܩܠܬܐ ut 1 Petr. 2, 7) 1 Joh. 2, 10. De cap. XIX infra agetur.

Jam vero accedamus ad frgm. hujus epistolae syrr.; exstant partes capp. 1, 5, 6, 7, 13, 15, 18, 19, 20. Codicem Parisiensem nostram exhibere versionem jam supra vidimus, aliam versionem praebet Severus; hoc et insequenti collatione comprobabitur.

A. Msc. Par. exhibet fragmenta capp. 5, 6, 13, 15 Curet. p. 197 sq. Verba cap. 15 cum vers. Syri Curet. bene conveniunt, unum ܗܘ ab initio est additum. Premendum id videtur, quod Syri ambo habent ܕ ܐܝܬܘܗܝ ܡܕܡ pro simplice

εἶναι et quod in altero membro *μὴ εἶναι* vertunt ܡܢ ܠܐ ܐܝܬܘܗܝ omisso ܡܕܡ. Reliqua vero hujus Msti. fragmenta cum versione armeniaca, quam e Syro triepistolari factam esse vidimus fere prorsus conveniunt.

Cap. 5—6.

Fragmentum.

ܢܬܚܦܛ ܗܟܝܠ ܕܠܐ ܢܗܘܐ
ܡܣܬܩܒܠܐ ܠܐܦܝܣܩܘܦܐ ܐܝܟܢܐ ܕܢܗܘܐ
ܡܫܥܒܕܝܢ ܠܐ ܠܐܠܗܐ. ܘܟܡܐ ܕܚܙܐ
ܠܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܫܬܝܩ. ܝܬܝܪܐܝܬ
ܢܕܚܠ ܡܢܗ. ܟܠ ܓܝܪ ܕܡܫܕܪ
ܡܪܐ ܒܝܬܐ ܠܦܪܢܣܘܬܗ ܕܒܝܬܗ.
ܗܟܝܠ ܙܕܩ ܠܢ ܕܢܩܒܠܝܘܗܝ ܐܝܟ
ܕܠܗܘ ܕܫܕܪܗ. ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܗܟܝܠ
ܡܚܠܐ ܗܘ ܕܐܝܟ ܕܠܡܪܢ ܙܕܩ ܠܢ
ܕܢܚܘܪ ܒܗ܀

Versio armeniaca.

Studeamus non resistere (fieri adversarios) episcopo, ut fiamus subjecti deo. Et quando videmus (ܚܙܝܢ) episcopum tacentem magis etiam opus est timere eum. Nam quemcunque mittit vir dominus domus ad necessitatem suam opus est excipere (ut) eum, qui ipsum misit. Ergo decet nos spectare ad episcopum sicut ad dominum nostrum.

Cap. 13.

ܗܘܝܬܘܢ ܗܟܝܠ ܡܬܟܢܫܝܢ
ܠܡܬܟܢܫܘ ܐܡܝܢܐܝܬ. ܠܬܘܕܝܬܐ
ܘܠܫܘܒܚܐ ܕܐܠܗܐ. ܐܡܬܝ ܓܝܪ
ܕܐܡܝܢ ܐܢܬܘܢ ܐܟܚܕܐ. ܡܬܡܚܝܐ
ܚܝܠܗ ܕܣܛܢܐ. ܘܡܫܬܪܐ ܐܘܚܕܢܗ
ܡܢ ܐܘܝܐ ܕܗܝܡܢܘܬܟܘܢ. ܠܝܬ
ܓܝܪ ܡܕܡ ܕܝܬܝܪ ܡܢ ܫܠܡܐ. ܗܘ
ܕܒܗ ܡܬܒܛܠܝܢ ܟܠ ܩܪ̈ܒܝܢ
ܕܫܡܝܢܐ ܘܕܐܪܥܢܐ܀

Perseverate omni tempore congregari vos ad gratiarum actionem et ad gloriam. Nam a vestra concordia et fide infirmatur vis Satanae et solvitur memoria ejus (?!). Non est quidquam melius, quam fides et pax qua impediuntur omnia bella coelestium et terrestrium.

Cap. 5—6 Arm. addit vir (dominus domus) unde opiniari licet in ejus textu scriptam fuisse vocem ܓܒܪ, quae e praecedente ܓܝܪ facile potest orta esse; omisit vero ܡܚܠܐ ܗܘ *δῆλον*.

Cap. 13. Omisit ܠܐܠܗܐ quod et in textu graeco deest, ideo in syriaco spurium videtur. In seqq. ejus textus syriacus debuit esse corruptus, sicut et fragm. nostrum non est sanum, nam pro ὁ ὄλεθρος αὐτοῦ exhibet ܐܘܚܕܢܗ, ubi esse deberet ܐܒܕܢܗ, unde et ܕܘܒܪܢܗ quod Arm. habet. ortum videtur. Verba ܐܡܬܝ ܕܝܢ ܐܡܝܢܐܝܬ ܐܢܬܘܢ ܐܚܝ̈ܐ Syr. omisit, et pro ܕܡܬܟܢܫܬܘܢ ܗܘ legit ܘܗܘܡܢ.

His omnibus vero accedit, id quod est gravissimum, quod in frgm. syr. eadem vertendi ratio invenitur, quam secutus est Syr. Curet. De σπουδάζειν ܐܬܚܦܛ cf. Eph. 1, p. 41; ἀντιτάσσεσθαι ܗܘܐ ܡܣܬܩܒܠ ut 1 Petr. 5, 5 θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται ܠܐܠܗܐ ܡܣܬܩܒܠ ܠܐܝܠܝܢ ܕܡܬܬܪܝܡܝܢ cf. Gal. 5, 17. Δεῖ vertitur ܙܕܩ contra usum Pesch., quum aliis duobus locis ubi in epp. Ignt. syriacis Pol. 3, Rom. 8 legatur ܘܠܐ ut in Pesch. Tamen interdum ubi nexus postulat et in Pesch. δεῖ non voce ܘܠܐ redditur sed liberius exprimitur cf. Luc. 22, 7 ܗܘܐ ܚܝܒܐ et ܙܕܩ legitur act. 1, 16; 25, 10. Σκοπεῖν et προσβλέπειν ܚܘܪ ut Pol. 6 τῷ ἐπισκόπῳ προσέχειν. Πυκνότερον συνέρχεσθαι ܡܬܟܢܫܘܢ ܐܡܝܢܐܝܬ ut Pol. 4 πυκνότερον συναγωγαὶ γινέσθωσαν ܟܢ̈ܫܐ ܢܗܘܘܢ ܐܡܝܢܝܢ. Et vox ܐܘܝܘܬܐ ὁμονοία in ep. ad Pol. exstat pro ἕνωσις cap. 1. Haud pauca igitur pro loci brevitate indicia habemus, e quibus opinari licet, haec fragm. ab eodem viro scripta esse, cui debemus versionem trium epistolarum.

Fragm. capp. 15 et 20 eodem modo huc videntur trahenda, leguntur Curet. p. 201.

Cap. 15.

Fragm.	Vers. arm.
ܒܟܠܡܕܡ ܗܟܝܠ ܗܟܢܐ ܢܗܘܐ ܡܫܪܝܢ[1]). ܐܝܟ ܕܗܘ ܫܪܐ ܒܢ. ܘܢܗܘܐ[2]) ܗܝܟܠܐ ܕܐܠܗܐ. ܘܗܘ ܢܗܘܐ ܒܢ ܐܠܗܐ. ܐܢ ܐܝܟ ܕܟܐܢܐܝܬ ܡܚܒܝܢ ܠܗ.	Omnia sic faciamus ac si in nobis habitet, ita ut simus templum ejus et ipse sit noster deus si juste diligamus eum. (Pro ܒ ܠܐܠܗܐ legisse videtur ܠܗ.)

[1]) Textus ܡܫܪܝܢ. [2]) Cum Graec. et Arm. lege ܕܢܗܘܐ.

Cap. 20.

Fragm.	Vers. arm.
ܒܚܕܐ ܗܝܡܢܘܬܐ ܕܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ. ܒܗܘ ܕܗܘܐ ܒܒܣܪܐ ܡܢ ܙܪܥܐ ܕܕܘܝܕ ܕܐܡܪ: ܗܘ ܕܐܝܬܘܗܝ ܒܪܗ ܕܐܢܫܐ ܘܒܪܗ ܕܐܠܗܐ.	. . . una fide Jesu Christi (deest *καὶ* ut in Syr.) qui fuit in corpore e prole Davidis, qui est filius hominis et filius dei.

Reliqua fragmenta vero non ad nostram versionem pertinent, et sunt quidem Timotheus Alexandrinus et Severus qui alteram versionem servaverunt, quum et fragm. IX—XIV ad eum sive certe ad ejus tempus pertinere videantur. Fragmenta enim IX—XIV eundem fere textum praebent, quum Severus exhibet.

E cap. 1. Severus verba *ἀναζωπυρήσοντες κτλ.* ita exhibet p. 213, 217 ܠܠܒܐ ܚܝܐ. ܡܢ ܐܬܚܕܘܬܗܘܢ ܒܕܡܗ ܕܐܠܗܐ. ܒܡܫܡܫܢܘܬܐ ܕܡܫܝܚܐ ܠܗ ܡܫܡܠܝܬܘܢ (p. 217 ܡܫܡܠܝܢ ܐܢܬܘܢ), et prorsus a versione Syri Curet. recedit, qui scribit ܘܐܬܚܝܬܘܢ ܐܢܬܘܢ ܒܕܡܐ ܕܐܠܗܐ ܘܥܒܕܐ ܐܚܝܢܝܐ ܫܡܠܝܬܘܢ. Deinde partem capitis 7, fragmenta X, XI, XII praebent, quae inter se ad verbum conveniunt, excepto uno loco, ubi in frgm. X legitur ܘܡܢ ܡܪܢ ܘܡܢ ܐܠܗܐ, XI et XII contra ܘ prius omittit, praeterea vero X et XI habent ܒܬܪ ܐܢܫܐ pro quo in XII exstat ܠܐ ܢܫܐ. Sed vel hic in paucis verbis aliam vertendi rationem habemus, quem eam, qua usus est Syr. Curet. Nam ut supra p. 39 vidimus in hac versione adjectiva in ܳܢܳܐ adhiberi sic et hic habemus ܠܐ ܒܣܝܪ et ܙܘܥܢܐ, deinde et verba *παθητὸς* et *ἀπαθής* ܚܫܘܫܐ et ܠܐ ܚܫܘܫܐ redduntur, ut in frgm. Pol. 3, p. 213; Syr. vero Curet. *ἀπαθὴς* vertit ܕܠܐ ܚܫܐ l. l.

Reliqua hujus epistolae fragmenta sunt e capp. 18—19 et afferuntur a Timotheo Alexandrino Curet. p. 211 et sub X et XIII. Pertinent, quod jam hic dici potest ad versionem, quam dicere liceat Severianam. Sed quum locus vexatissimus seorsim tractandus videatur, infra et de his fragmentis disseremus.

III. Epistola ad Romanos.

Inscr. Maximam habes copiam verborum cum ἄξιος compositorum, quae scriptor valde amat, syriace voce ܫܘܐ circumscribuntur. Quis vero Ignatii tempus (107 sive 116) agnoscat in verbis ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου ʽΡωμαίων, aut quis Syrum episcopalem dignitatem respuisse arguat, qui accuratissime reddit ܕܬܒ ܒܪܝܫܐ? ܕܬܒܐ ܒܪܝܫܐ ܒܕܘܟܬܐ ܕܐܬܪܐ ܕܪ̈ܗܘܡܝܐ locum primarium obtinere cf. πρωτοκλίσια Mth. 23, 6 ܪܝܫ ܡܣ̈ܡܟܐ.

Cap. I. Ἀσπάσασθαι ܫܐܠ ܒܫܠܡܐ ut in Pesch. Mth. 10, 12, Luc. 1, 40; 10, 4, Rom. 16, 3. Graeci habent infra ἐάνπερ χάριτος ἐπιτύχω Syr. ܐܢ ܐܬܡܛܐ ܠܡܫܡܠܝܘ ܠܫܘܠܡܐ, unde Peterm. pro χάριτος legendum censet πέρατος, quod nobis comprobatur. Non enim εἰς πέρας cum Lips. restituimus, quod voci ܐܬܡܛܐ = ἐπιτύχω infinitivus ܡܫܡܠܝܘ est additus, qui tum postulat ܠ; tota phrasis syr. est circumscriptio verborum (χάριτος) πέρατος ἐπιτυχεῖν. Cum Peterm. et ܚܘܣܟܬ glossam habemus, deest apud Graec. et apud Arm., deinde quoque forma ܚܘܣܟܐ Syro nostro non est peculiaris. Εὐχερές, ܦܫܝܩ = εὔκοπον Mrc. 2, 9, Mth. 9, 5 = ܕܠܐ Mth. 19, 24, ubi alia versio (Cureton Remains of a very antient transl.) idem ܦܫܝܩܐ exhibet; vox ipsa εὐχερής in N. T. non est obvia. Δύσκολον ut hic sic et in N. T. redditur ܥܣܩ Mth. 19, 23, Mrc. 10, 24. Contra Gr., Syr. 2, Arm. 2 noster scribit ܠܐ ܬܚܘܣܘܢ, quod in A omisso μή est ἐάνπερ φείσησθε.

Cap. II. Mirum et secundum quidem Cyprianum improbandum martyrii studium vide, nam quis sine temeritatis opprobrio dicere potest: ܠܝܬ ܙܒܢܐ ܐܚܪܢܐ ܕܠܐܠܗܐ ܐܬܡܛܐ ܐܦܠܐ ܐܢܬܘܢ ܠܐ ܬܫܟܚܘܢ ܒܥܒܕܐ ܕܡܝܬܪ ܡܢ ܗܢܐ ܬܫܬܩܘܢ, i. e. aliud non est tempus, quo deo dignificer (sive ad deum perveniam), nec vos in opere meliore quam hoc inveniemini, si tacetis. Hanc Hefele (Patr. app. opera edto. 4, p. LXI) dicit inaffectatam et nativam se praebendi rationem, sinceritatem et simplicitatem, quae non prodat falsarium. Baurius nobis rectius judicasse videtur, qui plus aequo martyrium desiderasse scriptorem contendit. Praeterea vix credibile est Christianos Romanos martyrem

mortis periculo potuisse liberare, nam quod Hefele dicit (l. l. p. XLIX) non demonstrat, unquam Christianum, imperatoris jussu ad mortem condemnatum, fratrum argento redemtum esse. Deinde quid hoc est: Si tacetis ܡܠܬܐ ܕܐܠܗܐ ܐܗܘܐ, si vero carnem meam amatis ܬܘܒ ܐܗܘܐ ܠܝ ܩܠܐ? Bunsenius p. 116 dicit: Werde ich meines Wunsches theilhaftig, so werde ich eine Rede Gottes werden, at quis homo christianus sese unquam *θεοῦ λόγον* dixerit?! Praeterea quid id est *πάλιν ἔσομαι ἐμαυτοῦ ἠχώ*, Bunsen: So werde ich wiederum ein Wiederhall meiner selbst sein?! Insulsum nobis videtur, ac nostri temporis usum dicendi sapit, id quod Bunsen de phrasi *ὁ καιρὸς ἀπαιτεῖ σε* Pol. 2 contendit p. 35. Haec vero phrasis, ut infra demonstrabitur, vere antiqua est.

Omnes hunc locum offenserunt, Toupius scripsit *ματαίως τρέχων* quod displicet, quum emendator locum 1 Cor. 9, 24 respicere videatur, Usserius in margine scripsit velox pro vox, at sic lectio Syri ܩܠܐ, insuper hujus epistolae versione martyrio appositâ commendata, non sanatur[1]). Quod primum ad vocem ܡܠܬܐ, nos Armenii 1 auctoritate nixi, qui habet pars dei, restituendum censemus ܡܢܬܐ, ita ut Syr. verba gr. *πάλιν ἔσομαι θεοῦ* accuratius expresserit ܡܢܬܐ ܕܐܠܗܐ ܐܗܘܐ. Si vero conjecturae locus est dandus, in textu primo fortasse fuit *θεοῦ ΚΛΗΡΟΣ* (cf. cap. 1 *κλῆρόν μου ἀπολαβεῖν*) unde deinde factum est *ΛΟΓΟΣ*, sicut e syriaco ܡܢܬܐ processit ܡܠܬܐ, et sic explicatur Lat. *A* verbum. In secundo membro tum ab initio fuit *ἐμαυτοῦ* pro *ἔσομαι* (*τρέχων*) *ΕΜΑΥΤΟΥ ΕΣΟΜΑΙ* quo facto haec oritur sententia: *ἐὰν σιωπήσετε . . . ἔσομαι κλῆρος θεοῦ, ἐὰν δὲ μὴ πάλιν ἐμαυτοῦ*. Quod Syr. addit ܩܠܐ et Lat. vox tunc explicatur ex usitata oppositione, quam veteres inter *λόγος* et *φωνή* faciebant, quae a Curetono p. 291 docte illustratur. Quum vero in textu gr. pro *ἐμαυτοῦ* scriptum sit *ἔσομαι* non inepte additum est *τρέχων* ab homine imaginem Paulinam respiciente 1 Cor. 9, 24.

Χόρος ܫܘܝܘܬܐ = *συμφώνησις* in Pesch. 2 Cor. 6, 15, *ἀείδω* = ܫܒܚ ut apoc. 5, 9; 14, 3; 15, 3. Graec. ludit in verbis,

[1]) Joh. Monachus Curet. p. 206 l. 26 idem habet, pro ܬܫܬܘܩܘܢ autem scribit ܬܫܬܘܩܘܢ ܡܢܝ.

εἰς δύσιν, τὸ δῦναι id quod Syr. bene reddit, notionem vero abeundi, quae in *δῦναι* latet, syr. ܥܪܒ non habet, quamquam غرب sit abire; bene Syr. et Arm. addunt ܒܚܝܐ in vita verbis ܕܗܘܐ ܕܢܚ. Johannes Monachus, qui hunc locum laudat (Curet. p. 207) cum nostra versione convenit, Severus vero ut ubique, sic et hic ab ea recedit, scribit enim ܫܡܫܐ ܗܘ ܠܡܥܪܒ ܡܢ ܥܠܡܐ ܗܢܐ ܘܠܡܕܢܚ ܒܡܫܝܚܐ Epithr. Serm. Curet. p. 215 l. 18.

Cap. III. *Βασκαίνειν* redditur ܚܣܡ ut in uno loco, ubi invenitur in Pesch. Gal. 3, 1. Verba deinde *ἐγὼ δὲ θέλω* — *ἐντέλλεσδε* cum Syro et Arm. omittit. Verba *τότε πιστός* (*εἰμι*) Joh. Monachus cum Syro nostro conveniens affert, eandem igitur versionem est secutus. Pro *οὐδὲν φαινόμενον αἰώνιον* Syr. et Arm. habent bonum ܠܟܠ ܙܒܢ ܕܡܬܚܙܐ ܗܘܐ ܫܦܝܪ; Timotheus Alex. Curet. p. 210, l. 20 cujus textus cum Severi convenit et hoc loco a Syr. nostro recedit scribens ܠܟܠ ܡܕܡ ܕܡܬܚܙܐ ܘܠܐ. ܠܟܘܠ ܙܒܢ ܫܦܝܪ ܡܫܟܚ ܒܐܠܗܘܬܗ ܕܐܒܐ ܡܫܪܝܬ ܡܬܚܙܐ. Verba a Syro omissa *τὰ γὰρ βλεπόμενα κτλ.* interpolatoris sunt, repetita secundum morem ejus e loco 2 Cor. 4, 18, neque leguntur apud Timotheum l. l. neque apud Arm. 1, 2, Lat. *A*. Voci ܦܝܣܐ, quam Lat. *A*, Tim. l. l. Arm. 2 habent respondet Gr. *B πεισμονὴ*, quod pro *σιωπή* reponendum est, uno loco ubi *πεισμονή* est in Pesch. Gal. 5, 8 vertitur ܦܝܣܐ. Arm. 1 falsa versio „vanitatis“ facile explicatur, pro ܦܝܣܐ legit ܣܪܝܩܐ sive ܣܦܝܩܐ. Peterm. Verba ultima ܗܘ ܕܡܫܝܚܐ ܠܗܘ ܠܥܠܡ Lat. *A*, Arm. 1 et 2 exhibent, nec deest Timotheus cujus verba haec sunt: ܠܐ ܗܘܐ ܚܒܪܐ ܗܘ ܕܦܝܣܐ. ܐܠܐ ܕܢܘܚܪܬܐ ܐܠܗܘܬܗ ܕܒܫܘܬܦܘܬܐ ܐܡܝܢ ܕܡܫܬܡܠܝܐ ܡܢ ܥܠܡܐ. En, quantum discrimen!

Cap. IV a compluribus laudatur scriptoribus et quum hucusque nobis jam persuaserimus, duplicem fragmentis servari versionem, alteram Severianam, alteram cum Syro Curet. convenientem, jam hic de variis fragmentis agere constituimus. Primum fragm. Curet. p. 296 cum textu nostro ad verbum fere convenit, scriptio interdum discrepat e.g. ܟܠ ܠܐ pro ܟܠ ܐܠܐ etc., ordinem aliquando inversum praebet, per errorem omittit ܕ in verbis ܡܫܡܫܘܢ ܐܗܘܐ, denique pro ܒܢ̈ܝܐ habet ܒܦܫܩܐ. Secundum fragm. eodem modo nostrae versioni est adscriben-

dum, exceptis enim omissionibus quibusdam a textu ejus non recedit, nisi quod pro ܡܣܘܒܪܐ scribit ܐܢܐ ܡܣܘܒܪ et pro ܡܬܗܝܡܢ falso ܡܗܝܡܢ. Timotheus vero, qui et hunc locum laudavit, cum Syro Curet. non convenit, scribit enim Curet. p. 211 l. 1. ܡܣܝܡ ܐܢܐ pro ܡܣܘܒܪܐ et ܕܒܨܒܝܢ pro ܨܒܐ ܐܢܐ ܕܡ Arm. pro ܨܒܐ ܐܢܐ habet mea voluntate ut Tim. ܒܨܒܝܢ qua in re dubitamus, an Syr. Curet. sit emendandus, quum et in Pesch. Rom. 8, 20, 1 Cor. 9, 17 ἑκὼν ܒܨܒܝܢ etc. reddatur. Atque hoc eo magis commendatur, quum constructio ܨܒܐ ܐܢܐ ܡܐܬ ܐܢܐ, sit durissima, vix enim verbum ܨܒܐ mero participio jungitur id quod post verba incipiendi, continuandi jubendi et permittendi locum habet. Hoffm. Gr. syr. p. 343. Quod si vero est error, ipso errore maxime affinitas fragmentorum p. 296 cum textu nostro comprobatur. Vocem μᾶλλον Syrus infinitivo emphatice addito habet, quem Arm. quidem exprimit, adverbium ܛܒܐܝܬ autem insuper addit, quod secundum librum graecum ejus textui insertum videtur. Pro κατάκριτος Syr. ponit ܡܚܝܒܐ, ut in Pesch. κατάκριμα est ܚܘܒܐ 2 Cor. 3, 8 et ܡܚܝܒܘܬܐ 2 Cor. 7, 2. Verba ultima κοσμικὸν ἢ μάταιον, a Syr. Arm. Lat. *A* omissa, sunt glossa.

Cap. V. *Ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο διδικαίωμαι* ex 1 Cor. 4, 4 repetitum in Pesch. sic legitur ܐܠܐ ܠܐ ܒܗܕܐ ܐܙܕܕܩܬ. *Εὔχομαι ἕτοιμά μοι εὑρεθῆναι* Syr. ܒܥܓܠ confestim. Ambo Latt. *ἕτοιμα* legerunt, *B σύντομα*, quod nobis videtur praestare, quum et apud. Eus. exstat Curet. p. 203, l. 14; Syr. Singularis ܕܕܚܝܠܢ .... ܩܪܒ pro *δειλαινόμενα* ... *ἥψαντο* reprobandus est, quamquam interdum ܘ et ܢ in fine 3 ps. plur. plane abjiciantur Hoffm. Gr. syr. p. 171. Jam Arm. hoc loco textum corruptum habuit. Capitis V. fragm. ad nostram versionem pertinens exstat Curet. p. 201, quo lacuna loci nostri bene suppletur, nam post *συγγνώμην μοι ἔχετε κτλ.* recte addit ܐܢܐ ܝܕܥ ܐܢܐ ܕܡܘܢܐ ܡܦܩܐ ܐܢܐ ܕܐܗܘܐ ܠܡܣܟܢܐ. Quod vero pro ܦܫܘ scripsit ܦܫܝ est error levissimus e litterarum ductu profectus, denique pro ܢܗܘܐ scriptum est in frgm. ܐܢܗܘܐ, quod Syri in syllaba in duplicem consonam exeunte interdum ponunt ܐ Hoffm. Gr. p. 201. Textus et fragm. pro *θηρίων συστάσεις* scribunt ܚܝܘܬܐ ܕܡܬܛܝܒܢ (ܠܗ) sic et Arm. bestiae, quae paratae sunt.

Apud Euseb. quidem legitur ܒܝܫ ܕܬܘܬܐ Curet. p. 203, l. 20, sed hic in re nostra nihil facit Curet. p. 350, quum is qui totum Eusebium verterit vix versionem harum epp. antiquiorem transscripserit. Ceterum et Eusebii graeci textum originalem Curet. p. 161 exhibet neque nostrum (Graec. *A*) reddit. Verba ἀνατομαὶ καὶ διαιρέσεις Syr. Curet. quidem omittit, Arm. tamen addit, ut et in frgm. ܦܘܠܓܐ legitur. Ceterum frgm. voces ܒܘܕܪܐ σκορπισμὸς et ܦܣܩܐ (frgm. ܦܘܣܩܐ) συγκοπὴ inter se permutat, qui est error, quum Graec. et Arm. cum Syr. Cur. concordent. Sic et voces ܫܘܢܩܐ (text. ܬܫܢܝܩܐ) et ܫܢ̈ܩܐ permutans fragm. a recto abest, ܫܢܩܐ enim, quod in Pesch. Rom. 3, 16 pro σύντριμμα et 1 Tim. 6, 5 pro διαπαρατριβὴ usurpatur vocem ἀλεσμοὶ bene exprimit, ܬܫܢܝܩܐ vero sive ܫܘܢܩܐ, cujus radix in Pesch. pro βασανίζειν legitur ad describendas diaboli artes bene quadrat, cf. 2 Petr. 2, 4 σειραὶ ζόφου ταρταρῶσαι ܐܬܪ ܕܫܘܢܩܐ, Luc. 16, 23. Licet fragmentum et textus erroribus scateant, eandem versionem exhibent.

Cap. VI. Syr. Curet. ex hoc capite nihil habet, nisi verba ὁ τοκετός μοι ἐπίκειται ܚܒ̈ܠܐ ܕܡܘܬܐ ܡܩܦܝܢ ܠܝ, ubi fragmentum p. 201, l. 19 ܠܝ false omittit et pro ܡܘܬܐ exhibet ܡܘܬܐ, qua in re scriptor fortasse locum ps. 18, 5 ܚܒ̈ܠܐ ܕܡܘܬܐ ܚܕܪܘܢܝ memoria tenuit; nihilominus tamen fragmentum textum graecum minorem reddit, recteque eidem versione accensendum est, quam exhibet Syr. Curet., quum jam supra viderimus omnia sub II. allata a Curet. fragmenta ad hanc versionem pertinere. Quodsi vero Lipsius ex hoc fragmento particulam Syro suo inserit, pro arbitrio agit, primum enim hoc ipso facto Syri Curet. integritatem negat, tum si hujus fragmenti auctoritate nixus locum inserit, ejusdem fragmenti auctoritate nixus capitis V. initium in fragmento omissum potest extrudere, denique nihil magis potest esse dubium, quam secundum fragmenta addere aut omittere; id quod e natura rei sequitur. Armen. hoc fragmentum vertit; jam Petermannus conjecerat, Armenium legisse ܠܒܠܐ, id quod fragmto comprobatur. Pro ܣܘܦ̈ܐ fines (Lat. *A* termini, Graec. *B* πέρατα) Arm. scribit thesauri, fortasse legit ܣܝ̈ܡܐ aut secundum Graec. *A* τερπνὰ

est emendatus. Sic et unus Arm. cum fragm. habet vocem *πάντων* in altero membro ܠܟܠܗܘܢ ܚܕܪ̈ܐ ܕܐܪܥܐ. Verba sequentia, quae Armen. sic habet: Cognoscite me ex anima mea, fratres, ne expellite me e vita, ne velitis mortem meam, quum (qui) non volo manere in mundo, ne honorate sic, et ne aemulatorem facite visibilium, non potuit nisi e fragmto vertere, quod habet haec: ܘܗܕܥܘܢܝ ܡܢ ܢܦܫܝ ܐܚܝ̈: ܠܐ ܬܟܠܘܢܢܝ ܡܢ ܚܝ̈ܐ ܠܐ ܬܨܒܘܢ ܡܘܬܝ ܠܗܘ ܕܠܐ ܨܒܐ ܕܐܗܘܐ ܒܥܠܡܐ. ܠܐ ܬܝܩܪܘܢܢܝ ܗܟܢܐ ܘܠܐ ܬܛܢܢܘܢ ܒܗܘܢ ܕܡܬܚܙܝܢ.

Verbum *συγγιγνώσκειν* ܡܚܠ ܡܢ ܢܦܫܝ jam supra a Syro redditur; textus graecus ab utroque prorsus est alienus. Exitum capitis Arm. sic exhibet: Permittite mihi accipere infinitam lucem. Sursum quando ibo homo fio perfectus; neque potest negari eum fragmenti lectionem esse secutum: ܫܒܘܩܘܢܝ ܕܐܩܒܠ ܢܘܗܪܐ ܢܩܝܐ. ܠܬܡܢ ܡܐ ܕܐܙܠܬ ܒܢܘܗܪܐ (leg. ܫܒܘܩܘܢܝ) ܗܘܐ ܐܢܐ ܡܫܡܠܝܐ (frgm. p. 296 leg. ܒܪܢܫܐ). Syri ܒܢܘܗܪܐ error scribae videtur, verba p. 201 omissa *ἐπιτρέψατέ μοι μιμητὴν εἶναι τοῦ πάθους τοῦ θεοῦ μου* frgm. pag. 296 recte addit ܐܦܣܘ ܠܝ ܕܐܗܘܐ ܡܬܕܡܝܢܐ ܕܚܫܘܗܝ ܕܐܠܗܝ.

Cap. VII. Initium Syr. omittit. Versio armen. vero et hic e Syro tantum illustratur; scribit: Amor meus crux est, desiderium meum crucifixum est et non est apud me alius aestus, quae syriace ita sunt ܪܚܡܬܝ ܕܝܠܝ ܙܩܝܦܐ ܗܘ. ܠܝܬ ܒܝ ܢܘܪܐ ܒܪܝܫܐ; ܙܩܝܦܐ enim est crux et crucifixus, glossa igitur, desiderium meum crucifixum est, in textum irrepsit. Quae sequuntur apud Arm., non desiderat senectus lac, non possunt orta esse nisi errore scribae syriaci, qui pro ܣܝܒܪܬܐ posuit ܣܝܒܘܬܐ et pro ܚܝܠܐ vocem similem ܚܠܒܐ; *τροφή* vero ܣܝܒܪܬܐ redditur ut in Pesch. Mth. 6, 25; 24, 25, act. 2, 45. Verba in fine posita cap. IX. *εἰς ὄνομα Ἰη.* reddit sicut imaginem Christi, scil. pro ܠܫܡܗ legit ܠܨܠܡܗ (Peterm.). Praeterea et ea addit, quae in Syro desunt, verba *οὐχ ὡς παροδεύοντα*. Verba ultima denique ܡܕܝ̈ܢܬܐ ܒܐܘܪܚܐ ܟܠܗ̇: ܒܟܠ ܡܕܝܢܐ Peterm. ita restituit ܡܕܝ̈ܢܬܐ ܒܒܣܪܐ ܕܐܘܪܚܐ ܒܡܕܝܢܐ ܡܕܝܢܐ. Quae sequuntur jam eam ob causam non possunt hujus loci esse, quod postquam formula salutis *ἀσπάζεται ὑμᾶς κτλ.* ܫܐܠܐ ܒܫܠܡܟܘܢ est posita, scriptor non facile recedat ad adhortationes suas, ut vult

finis textus syriaci. Salutationem potius res privatae debent sequi, sicut in textu graeco leguntur, cujus ultima demum verba ἔρρωσθε εἰς τέλος κτλ. syriace leguntur. Verbum ἔρρωσθε redditur ܗܘܘ ܫܠܡܝܢ et vel in ultimo verbo Syrus analogiam versionis simplicis est secutus, quae act. 23, 30 ἔρρωσο reddit ܗܘܝ ܫܠܡ. Nos igitur, quae Syro Curet. ex epistola ad Trallianos sunt imposita, una cum reliquis syriacis ejus fragmentis tractabimus.

Restat denique, ut fragmenta epistolae nostrae hucusque omissa perquiramus, et sunt quidem ea, quae ad Syrum Curet. non pertinent. Habet primum Timotheus Alexdr. Curet. p. 210, l. 10, locum Rom. 7 ܡܝܬܢܐ ܕܝܠܗ ܪܘܚܢܐ ubi textus Curet. ܗܘ ܠܒܐ. Deinde p. 210 l. 21 locum Rom. 3, 4 οὐδὲν γὰρ φαινόμενον κτλ. exhibet

Timotheus.	Textus Curet.
ܠܝܬ ܡܕܡ ܕܡܬܚܙܐ ܝܐܝܐ. ܐܠܗܢ	ܠܝܬ ܓܝܪ (1) ܕܡܬܚܙܐ ܚܙܐ ܕܗܘ ܥܠܡ
ܓܝܪ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܟܕ ܐܝܬܘܗܝ	— — — — — —
ܒܐܒܐ ܡܬܚܙܐ ܝܬܝܪܐܝܬ. ܠܐ ܗܘܐ	— — ܠܗ ܕܫܬܩܐ ܗܘ ܥܒܕܐ
ܥܒܕܐ ܗܘ ܕܫܬܩܐ. ܐܠܐ ܕܪܒܘܬܐ	ܐܠܐ ܪܒܐ ܗܘ ܟܪܣܛܝܢܘܬܐ ܡܐ ܕܣܢܝܐ
ܐܝܬܘܗܝ ܟܪܣܛܝܢܘܬܐ ܐܝܟ ܕܡܣܬܢܝܐ	ܠܗ ܥܠܡܐ. ܐܠܐ ܟܬܒ ܐܢܐ ܠܟܠܗܘܢ
ܡܢ ܥܠܡܐ. ܐܠܐ ܟܬܒ ܐܢܐ ܠܟܠܗܘܢ	ܥܕܬܐ ܡܣܗܕܢܐ ܠܟܠܗܘܢ ܕܐܢ ܨܒܐ ܠܐ
ܥܕܬܐ ܘܡܦܩܕ ܐܢܐ ܠܟܠܗܘܢ: ܕܒܨܒܝܢܝ	ܡܛܠ ܐܠܐ ܡܝܬ ܐܠܗܐ ܠܝ ܗܘ ܕܐܢܬܘܢ
ܡܝܬ ܐܢܐ ܡܛܠ ܐܠܗܐ. ܐܢ ܗܘ ܕܐܢܬܘܢ	ܠܐ ܬܟܠܘܢܢܝ܀
ܠܐ ܬܟܠܘܢ܀	

Apparet diversas has esse versiones, pro ἀγαθὸν (text quidem proprie αἰώνιον) Syr. Curet. habet ܥܠܡ, Timoth. ܝܐܝ quod ille secundum usum Pesch. pro πρέπον ponit cf. p. 31. Accuratius Timoth. pro ܪܒܐ ponit ܪܒܘܬܐ et structuram Graeci passivum ὅταν μίσηται servat, et vocem ἐντέλλομαι pro ܡܣܗܕܢܐ scribens ܡܦܩܕ ܐܢܐ strictius vertit cf. Pesch. Act. 1, 2, Mth. 4, 6, Luc. 4, 10, Hebr. 11, 22, cf. p. 51.

1) Cod. γ add. ܡܕܡ.

Tum idem Timotheus cap. 6—7 habet Curet. p. 211, a quo ejusdem loci versio in frgm. pag. 201, l. 17 exhibita, quam Syro Curet. ascripsimus prorsus recedit:

Timotheus.

ܚܙܝ ܠܟ ܕܐܢܫܐ ܡܗܠܐ ܢܫܒܝ
ܡܡܫܠ: ܐܘ ܕܐܡܠܟ ܠܠ ܡܩ̈ܦܣܘܬ
ܘܐܦܠ. ܒܗ̇ܘ ܟܠ ܐܠܐ ܒܗ̇ܘ ܕܫܠܛܐ
ܥܡܗ. ܒܗ̇ܘ ܙ̈ܟܠ ܐܠܐ ܒܗ̇ܘ ܕܡܬܠܘ
ܥܡܝ. ܡܡܠܒܫܢ ܡܡܡ ܠܟ. ܥܒܕܘܗ
ܠܟ ܐܢܬ. ܠܐ ܠܡܒܙܘܢ ܡܢ (ܣܠ) ܠܐ
ܠܪ̈ܚܡ ܕܐܡܬܐ. ܒܗ̇ܘ ܕܟܠ ܕܢܘܗܪܐ
ܘܐܠܗܐ ܒܠܡܐ ܠܐ ܠܡܚܝܡ ܒܗ. ܐܠܐ
ܒܗܘܠܐ ܠܡܛܥܝܘܟܘܢ[1]) ܡܥܡܡܘܢ
ܕܢܘܗܪܐ ܕܟܠ ܐܡܪ. ܡܒܠܗܘܠܐ ܐܠܐ
ܐܠܐ ܒܙܢܐ ܗܘܐ ܐܠܐ. ܐܦܣܘ ܠܟ
ܘܡܬܡܣܠ ܐܗܘܐ ܕܫܡܗ ܕܐܠܗܘܢ. ܐܦ
ܐܝܟ ܒܫܡܗ ܡܠܐ ܒܗ: ܢܡܫܠܠܐ
ܗ̇ܘ ܡܠ ܕܙ̈ܟܠ ܐܠܐ. ܘܚܫ ܟܢܫ.
ܡܢ ܚܝܠܐ ܐܠܗܐ ܕܚܝܢ ܠܟ܀

Frgm. p. 201 (Syr. Curet.).

ܚܙܝ ܗܘ ܠܟ ܕܐܢܫܐ ܒܫܒܝ
ܡܡܫܠ ܐܘ ܕܐܡܠܟ ܠܠ ܠܟܘܢ ܒܗ̈ܝܪܘ
ܘܐܦܠ. ܒܗܘ ܕܫܡ ܠܠ ܐܦ ܟܠ
ܐܠܐ ܒܗ̇ܘ ܕܡܡ ܡܢ ܒܡܗ ܡܢܗܐ ܙ̈ܟܠ
ܐܠܐ ܘܡܒܠܐ ܕܡܡܐ ܡܡܫܝ[2]) ܕܒܗ
ܠܟ ܡܢ ܢܩܫ ܐܢܬ. ܠܐ ܠܡܒܡܘܢ
ܡܢ ܣܢܐ. ܠܐ ܠܪ̈ܚܡ ܒܡܡܠ. ܒܗ̇ܘ
ܘܠܐ ܙ̈ܟܠ ܕܢܘܗܪܐ ܒܠܡܐ — — —
ܠܐ ܠܡܦܙܘܢ ܒܗܘܐ ܘܠܐ ܠܐܠܗܘܢ
ܒܗܘܠܝ ܕܡܡܣܝ. ܡܥܡܡܝ[3])
ܘܐܡܠܠ ܢܘܗܪܐ ܢܡܪܐ. ܒܗܘܠܐ ܡܠ
ܘܐܠܗ ܒܢܘܗܪܐ ܗ̇ܘܐ ܐܠܐ ܡܡܥܡܠܐ...

Diversas has has esse versiones apparet, fragm. p. 296 cum textu nostro (frgm. p. 201) conveniens, a Timotheo recedit. Gravissimum denique est quod Severus Antiochenus p. 213, l. 3 cum Timotheo concordat, quamvis in exemplaribus antiquioribus aliam lectionem ܐܦܣܘ ܠܟ ܕܠܡܬܡܣܠ ܐܗܘܐ ܕܫܡܗ ܕܐܠܗܘܢ invenerit; sic et p. 216, l. 22 ܡܬܡܣܠ pro ܠܡܬܡܣܠ scribit, et eandem lectionem sequitur frgm. p. 220, l. 7. Severianam versionem et Pseudodionysius habet p. 210, l. 10 qui scribit ܡܡܫܠܐ pro ܙ̈ܟܠܐ. Denique et in serm. epithr. pag.

[1]) Latin. A neque per materiam seducatis.

[2]) Textus ܡܒܠܐ ܕܡܡܐ ܡܡܫܝ ܠܟ.

[3]) Lege ܡܥܡܡܘܢ.

215, l. 18. Severus scribit, Rom. 2 ܫܦܝܪ ܗܘ ܠܡܥܪܒ ܡܢ ܥܠܡܐ: ܘܠܡܕܢܚ ܒܡܫܝܚܐ ubi textus Curet. habet ܫܦܝܪ ܗܘ ܕܐܥܪܒ ܡܢ ܥܠܡܐ ܠܘܬ ܐܠܗܐ: ܕܒܗ ܐܕܢܚ ܒܚܝܐ. Eodem modo et in iis verbis, quae p. 216, l. 9 e cap. V. affert neque cum textu graeco neque cum syriaco convenit.

Sic igitur quae hucusque de duplice fragmentorum serie cognovimus et hac epistola comprobatur. Habemus versionem Syri Curet. et versionem Severianam, quarum prior fragmentis a Curetono sub I. et II. allatis continetur. Sed jam restat, ut hujus versionis fragmenta e ceteris epistolis ad Magnesios, Trallienses Philadelphenos, Smyrnaeenses repetita inspiciamus, quo facto si re vera Syri Curet. versio et has epistolas est amplexa dubium non poterit esse, quin Syrus a Curetono al. defensus neque sit genuinus neque integer.

Caput quartum.

Fragmenta epistolarum ad Magnesios, Trallienses, Philadelphenos, Smyrnaeos syriaca.

I. Fpistola ad Magnesios.

Fragmenta ad versionem Syri Curet. pertinentia exstant Curet. p. 197, 200 et continent locos cap. 5—7. Armenius, quem ex hac versione hausisse vidimus, optimus nobis erit dux, cujus auxilio facile intelligemus, omnia haec fragmenta re vera olim in versione Syri Curet. fuisse scripta. Caput 5 inde a verbis *οἱ ἄπιστοι τοῦ κόσμου τούτου* ab Arm. et Syro ita vertuntur:

Syrus.	Armenius.
ܐܠܝܢ ܕܠܝܬ ܒܗܘܢ ܗܝܡܢܘܬܐ. ܕܐܘܩܢܐ ܐܢܘܢ ܕܥܠܡܐ ܗܢܐ. ܘܐܠܝܢ ܕܡܗܝܡܢܐ ܐܢܘܢ ܒܚܘܒܐ. ܨܠܡܗ ܐܢܘܢ ܕܐܠܗܐ ܐܒܐ ܒܝܕ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ.	Sic et qui non habent (rectam) fidem, imago principis hujus mundi sunt; at qui vere credentes sunt cum amore, imago sunt Dei patris per

ܘܐܢ ܠܐ ܨܒܝܢ ܕܢܡܘܬ ܡܛܠܬܗ ܒܚܫܗ ܚܝܘܗܝ ܠܝܬ ܠܢ ܒܢ ܀
Arm. legisse videtur: ܕܢܡܘܬ ܘܢܚܫ ܡܛܠ ܫܡܗ.

Jes. Chr. Et si nolumus (pati et) mori propter nomen ejus vitam ejus non habemus in nobis.

Haec Arm. versio e syriaca est profecta, praestat vero lectio Arm. imago principis, quae in fragmento quum e connexu legatur non potest cognosci. Contra libri graeci lectionem ambo ponunt ܐܪܟܘܢܐ, princeps, vox imago syriaco ܠܨܠܡ explicatur, quod Hebr. 1, 3 pro *χαρακτὴρ* legitur, error Armenii pati et mori propter nomen e verbis syriacis multo facilius procedere potuit quam e graecis *ἔχωμεν τὸ ἀποθανεῖν εἰς τὸ αὐτοῦ πάθος*. Vox *αὐθαιρέτως* vertitur verbo ܨܒܐ (Arm.: si nolumus) non substantivo ܨܒܝܢܐ, ut 2 Cor. 8, 3 ܒܨܒܝܢ ܢܦܫܗܘܢ, verbo vero et *ἑκὼν* exprimit Syr. Curet. Rom. 4 ܕܨܒܐ ܐܢ ܡܐܬ ܐܢܐ. Deinde e cap. VI. haec habes:

Syrus.

ܡܛܠ ܕܝܢ ܕܒܗܘܢ ܦܪ̈ܨܘܦܐ ܕܩܕܡܬ
ܚܙܝܬ ܠܟܠܟܘܢ: ܕܐܦܝܣܩܘܦܐ
ܒܗ ܘܕܩܫܝܫܐ ܘܕܡܫܡܫܢܐ: ܒܥܝܬ
ܠܟܠܗ ܟܢܫܟܘܢ ܒܗܝܡܢܘܬܐ
ܘܒܚܘܒܐ. ܒܥܐ ܐܢܐ ܡܢܟܘܢ.
ܕܒܫܝܢܐ ܕܐܠܗܐ ܬܗܘܘܢ ܥܒܕܝܢ:
ܟܠܡܕܡ ܟܕ ܝܬܒ ܒܪܝܫܟܘܢ
ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܒܕܘܡܝܐ ܕܐܠܗܐ.
ܘܩܫܝܫܐ ܒܕܘܡܝܐ ܕܫ̈ܠܝܚܐ ܡܠܟܐ
ܘ ܡܫܡܫܢܐ ܒܕܘܡܝܐ ܕܫ̈ܠܝܚܐ ܀

Armenius.

Et quoniam in eo, quod antea scripsi de episcopo et presbyteris et diaconis vidi omnem coetum vestrum (plenum sancta) fide et amore (et) peto a vobis ut in concordia et deo (cum deo) faciatis omnia et sedeat in capitibus vestris episcopus tanquam deus et sacerdotes tanquam angeli regis et diaconi in formis apostolorum.

Apparet Armenium *κατὰ πόδα* Syrum vertisse, qui pro *τόπος* in libro graeco legit *τύπος* ܛܘܦܣܐ, et in fine a libro graeco maxime recedit, ubi legitur *καὶ τῶν διακόνων τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων πεπιστευμένων διακονίαν Ἰη. Χρ. κτλ.* Versionis indoles eadem est quae in epp. ad Rom. Eph. Pol. cf. *παραινῶ* ܒܥܐ ܐܢܐ Pol. 1, p. 30; *ὁμονοία* ܐܘܝܘܬܐ = *ἕνωσις* Pol. 1;

ܦܢܫ ܚܢܢ ܡܠܟܐ ܠܡܠܟܐ = ܡܠܐܡ ܡܠܟܐ frgm. Pol. 7 ad Syr. Curet. pertinens Curet. p. 200, l. 27 *συμβούλιον ἀγαγεῖν*. Arm. falso ܡܠܟܐ legit. Ultima capitis verba *ἀλλ' ἑνώθητε* Curet. p. 200, l. 3 leguntur. *'Ενώθητε* redditur ܫܠܡܘ ut Gal. 5, 25 Arm. consentite; *εἰς τύπον* ܠܚܘܪܐ Arm. in conspectum; denique in cap. VII. Arm. cum Syro omittit verba *ἡνωμένος ὤν;* verba *οὔτε διὰ τῶν ἀποστόλων* Syr. recte exprimit ܘܠܐ ܒܝܕ ܫܠܝ̈ܚܘܗܝ Arm. sed voluntate patris per apostolos, ita ut legisse videatur ܐܠܐ ܒܝܕ ܫܠܝ̈ܚܘܗܝ ܒܨܒܝܢܗ ܕܐܒܘܗܝ. Vocem *πειράσητε* Syr. vertit ܡܢܣܘ ܬܢܣܘܢ, unde Arm. scripit tentando tentate.

Capitis X. frgm. Cur. p. 202, l. 1 verba *ἄτοπόν ἐστιν Ἰη. χρ. λαλεῖν καὶ κτλ.* ita reddit ܠܐ ܫܘܐ ܕܝܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܡܡܠܠܘ unde Arm. scripsit: Non est decens ubi Christus mutiatur. Verba sequentia *ὡς πᾶσα γλῶσσα πιστεύσασα εἰς θεὸν συνήχθη* ita sunt: ܕܟܠ ܕܝܢ ܕܗܘ ܗܝܡܢ ܠܘܬ ܐܠܗܐ ܐܬܟܢܫ, haec vero Arm. vertit: et omnis qui credit in eum ad deum congregatur.

Quae hucusque tractavimus fragmenta Syro Curet. sunt adnumeranda, versio Severiana ab iis recedit. Habemus enim ex hac versione cap. 6 Curet. p. 213, l. 12, ubi pro ܐܬܦܠܓ, ut legitur in frgm. Syri Curet. p. 197 habemus ܦܘܪ, pro *τύπος*, ܛܘܦܣܐ; *τόπος* ܕܘܟܬܐ. Vox *προκαθῆσθαι* (ܝܬܒ ܒܪܝܫܐ) simplice ܝܬܒ exprimitur, et lectio libri graeci *τῶν διακόνων.... πεπιστευμένων διακονίαν Ἰη. χρ. ὅς πρὸ αἰώνων παρὰ πατρί ἦν καὶ ἐν τέλει ἐφάνη*, quam Syr. Curet. non est secutus, servatur ܗܢܘܢ ܕܡܗܝܡܢܝܢ ܠܬܫܡܫܬܗ ܕܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ: ܗܘ ܕܩܕܡ ܥܠܡ̈ܐ ܠܘܬ ܐܒܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ: ܘܒܫܘܠܡ̈ܐ ܐܬܓܠܝ.

Capite VIII. Severus ab Armenio Syr. Curet. exprimente recedit, hic enim scribit: Prophetae qui missi sunt a deo in Christo Jesu requieverunt (ܢܚܘ legit pro ܚܝܘ Peterm.). Severus contra habet: Curet. p. 213, l. 18 ܢܒܝ̈ܐ ܓܝܪ ܠܐܠܗܐ ܒܡܫܝܚ ܝܫܘܥ ܚܝܘ; Arm. spiritu gratiae induti, Sever. ܡܢ ܛܝܒܘܬܐ ܕܠܗ ܡܠܒܫܝܢ ܗܘܘ ܪܘܚܐ. Sed haec minoris sunt momenti, quum locis e fragmento vrs. Syr. Curet. allatis utriusque versionis discrimen jam satis sit demonstratum. Timotheus qui

Curet. p. 211, l. 25 eundem locum laudat cum Severo rem habet, cujus textus hoc loco corruptus est, nam pro ܕܡܢ ܫܡܝܐ ܢܚܘܬ restituendum est ܠܐ ܡܢ ܫܡܝܐ ܢܚܘܬ, et archaisticum Timothei ܬܐ quod jam Ephremus Op. I. 116 D per ܬܐ explicat vix rectum videtur, etsi fortasse in exemplaribus antiquis (ܡܢ ܪ̈ܘܚܢܐ ܐܝܬܝܐ ܡܢ ܗܠܝܢ ܕܬܚܬ ܡܬܩܪܝܢ Curet. p. 213, l. 3) ita scriptum fuisse dici potest. Ad versionem Syr. Curet. pertinent igitur frgm. cap. 5—7, 10.

II. Epistola ad Trallienses.

Hujus epistolae capita IV. et V. integra leguntur apud Syrum Curet. cujus in versione efficiunt cap. VIII. et IX. ep. ad Rom. Praeterea vero Curet. p. 198, l. 14 finis cap. V. exstat, quod ibi tanquam ex ep. ad Trall. desumtum laudatur, quibus locis collatis eo certius dici potest ad eandem pertinere versionem, quum Severus, qui eundem locum affert ab iis ubique recedat. Locus est in cap. V. inde a verbis *καὶ γάρ ἐγώ κτλ.*

Fragm. p. 198.	Severus p. 217, l. 7.
ܐܦ ܐܢܐ ܓܝܪ ܠܘ ܡܛܠ ܕܐܣܝܪ	ܐܦ ܓܝܪ ܐܢܐ ܐܦ. ܠܘ ܡܛܠ
ܐܢܐ ܘܡܫܟܚ ܐܢܐ ܕܐܕܥ[1]) ܡܣܬܟܠܢܐ	ܕܐܣܝܪ ܐܢܐ: ܡܫܟܚ ܐܢܐ ܠܡܣܬܟܠܘ
ܐܦ ܐܬܪ̈ܘܬܐ ܕܡܠܐܟܐ ܘܡܘܩܡܐ	ܠܗܠܝܢ ܡܫܬܝܢܐ ܘܠܐܬܪ̈ܘܬܐ ܕܡ̈ܠܐܟܐ
ܕܫ̈ܠܝܛܢܐ ܕܡ̈ܬܚܙܝܢ ܘܕܠܐ ܡ̈ܬܚܙܝܢ	ܘܩ̈ܘܡܐ ܗܠܝܢ ܕܪܫܘܬܐ ܠܡܕ̈ܒܪܢܘܬܐ
ܡܛܠ ܗܢܐ ܗܘܝܬ[2]) ܠܐ ܠܬ̈ܠܡܝܕܐ	ܟܢܫ ܘܟܠܗ ܡܕ̈ܒܪܢܘܬܐ ܡܢ
ܣܓܝܢ ܓܝܪ ܚܣܝܪܝܢ ܕܡܢ ܐܠܗܐ	ܗܘܐ ܗܘܐ ܡܢ ܟܕܘ ܐܦ ܠܬܠܡܝܕܐ ܐܢܐ.
ܠܐ ܢܬܒܨܪ[3])	ܣܓܝ̈ܐܬܐ ܓܝܪ ܚܣܝܪ̈ܢ ܠܢ: ܐܝܟܢܐ
	ܕܡܢ ܐܠܗܐ ܠܐ ܢܗܘܐ ܚܣܝܪܝܢ ܚܢܢ

Iterum habemus versionis Severianae peculiaritatem supra observatam; adjectiva verbalia *ὁρατὸς* et *ἀόρατος* non participiis ut Syr. Cur. sed formis in ܢܳܐ desinentibus exprimit, prae-

[1]) Text. ep. ad Rom. ܠܡܣܟܠ.
[2]) Ib. singl. ܗܘܝܬ ܠܐ ܠܬܠܡܝܕܐ.
[3]) Ib. leg. ܣܓܝ ܐܢܐ ܡܢ ܚܣܝܪܘܬܐ ܕܠܘܬ ܠܐ ܐܬܒܨܪ.

terea et articulum graecum, id quod Syr. Curet. non facit, addito pronomine ܗܘ indicat. Etiam sequens cap. VI. p. 198, l. 17 Syri Curet. prodit manum. *Παρακαλῶ* redditur ܒܥܐ, *τροφή* ܣܝܒܪܬܐ ut Rom. 7. Sic et in cap. IV. (ad Rom. 8) ejus rationem habemus, *καύχησις* ܫܘܒܗܪܐ cf. *καυχᾶσθαι* ܐܫܬܒܗܪ Pol. 5, *δεῖ* ܘܠܐ ib. cf. p. 35 *πραότης* ܢܝܚܘܬܐ Eph. 11, p. 43 etc. Habemus igitur ep. ad Tr. 4—6 in versione Syri Curet., neque ab ejus defensoribus argumentis satis firmis demonstratum est, cap. 4—5 re vera pertinere ad ep. ad Rom. Curetonus p. 304 dicit, locum ex ep. ad Rom. desumtum alii epistolae esse additum, ut authentiae color ei tribuatur. At quomodo factum est, ut quum falsarius locum ex epist. ad Rom. exscripserit, idem locus ex omnibus graecis hujus ep. Mss. sit exstinctus? Deinde quoque nexus in ep. ad Rom. additamento rumpitur, in ep. ad Trall. vero est sanus, dicit enim cap. 3: Non in tantam mei gloriationem veni, ut vobis velut apostolus imperare velim; deinde cap. 4 pergit: Quamvis vero plurima sciam, tamen non sum gloriaturus neque scripturus vobis res coelestes, ne damno afficiemini. (Hefele.)

Aliud fragm. cap. 2—3 amplectens vocem *κατὰ ἄνθρωπον* reddit ܒܦܓܪ, unde Arm. scripsit in corpore, Severus vero p. 214, l. 1 habet ܐܝܟ ܒܪܢܫܐ; pro *τὸ ἀποθανεῖν ἐκφύγητε* frgm. habet ܕܬܥܪܩܘܢ ܡܢ ܡܘܬܐ, Severus autem ܡܢ ܗܘ ܕܬܥܪܩܘܢ ܠܡܘܬܐ; *κατὰ πάντα τρόπον πᾶσιν ἀρέσκειν* Arm. vertit „et in omnibus grati sunt,“ unde Peterm. qui hoc fragm. nondum habuit conjecerat syriace scriptum füisse ܫܦܪܝܢ, quod vere legitur ܕܒܟܠ ܐܘܡܢܐ ܫܦܪܝܢ ܠܟܠܗ. In verbis *ἐκκλησίας θεοῦ ὑπηρέται* Arm. et Syr. omittunt vocem *ὑπηρέται*. Ab initio cap. 3 Syr. verba *πάντες ἐντρεπέσθωσαν* vertit ܟܠܗ ܢܗܘܐ ܡܬܒܗܬ quae Arm. recte reddit unusquisque erubescat. Verba frgm. ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܐܠܗܘܬܗ ܒܛܘܦܣܐ ܕܐܒܐ inserta videntur e loco Mgn. 6, ipsa vero voce ܛܘܦܣܐ fragmentorum Syri Curet. cognatio comprobatur, in libro graeco enim est *τόπος* pro *τύπος* cf. p. 57.

E cap. VIII. fragm. p. 200, l. 8 affert verba haec: *Ὑμεῖς οὖν τὴν πραϋπάθειαν ἀναλαβόντες ἀνακτίσασθε ἑαυτοὺς ἐν πίστει, ὅ ἐστι σὰρξ τοῦ κυρίου καὶ ἐν ἀγάπῃ ὅ ἐστιν αἷμα Ἰη. χρ.*

quae Arm. reddit sic: Itaque vos sumite vobis (humilitatem et) mansuetudinem et recreate personas vestras fide et spe et coena sanguinis Christi. Pro ܒܣܡܪܐ legisse eum ܒܣܒܪܐ Petermannus conjecerat, id quod frgmto illi ignoto comprobatur, legitur enim: ܗܟܝܠ ܠܟܘܢ ܢܣܒܘ ܡܟܝܟܘܬܐ ܘܐܬܢܝܚܘ ܢܦܫܬܟܘܢ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܗܘ ܕܐܠܗܘ ܒܣܒܪܐ ܘܒܒܣܝܡܘܬܐ ܕܕܡܗ ܕܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ. Vox ܒܣܝܡܘܬܐ jucunditas legitur pro convivio, 2 Chron. 1, 3, 13 ubi hebr. est בָּמָה et Act. Martyr. ed. St. Evod. Assem. p. 222.

Cap. IX. frgm. p. 200, l. 11. *Κωφώθητε οὖν* Syr. vertit ܐܝܟ ܚܪܫܐ ܗܘܘ Arm. estote sicut muti, ܚܪܫܐ enim ut *κωφὸς* et הֶחֱרִישׁ de surdis aeque atque de mutis usurpatur. Deinde graec. *τοῦ ἐκ γένους Δαβὶδ* Syr. reddit ܕܗܘܐ ܡܢ ܫܪܒܬܐ ܕܒܝܬ ܕܘܝܕ, quem secutus Arm. scribit: qui fuit e genere. Denique pro *ἐδιώχθη ἐπὶ Ποντίου* Syr. habet ܐܬܪܕܦ ܒܝܘܡܝ ܦܝܠܛܘܣ unde Arm. hausit: passus est diebus Pilati. Vox passus est fortasse e symbolo apostolico originem duxit.

Cap. X. legitur p. 200, l. 17 idemque apud Severum exstat p. 214, l. 5 et unicuique has versiones comparanti eorum diversa indoles apparebit; Arm. pendet de fragm. Syri Curet. p. 200 e. g. verba *ἆρα οὐ καταψεύδομαι τοῦ κυρίου* e versione Syr. Curet. ܠܐܠܗܐ ܕܓܠܬܐ ܐܡܪܢܐ ܠܐ ܡܢ desumsit: falsum dicam de deo; Severus vero habet: ܡܢ ܠܐ ܐܡܪܐ ܠܗ ܐܢܐ ܠܡܪܝܐ. Ceterum *θηριομαχεῖν* Sever. reddit ܐܬܟܬܫ ܥܡ ܚܝܘܬܐ, frgm. p. 200 ܐܬܐܟܠܬ ܡܢ ܚܝܘܬܐ; *τὰς γεννώσας* Sever.: ܝ̈ܠܕܢ frgm. pag. 200 ܕܡܘܠܕܢ; *γεύσηται* Sever. ܢܛܥܡ, frgm. p. 200 ܐܠܐ etc. In ultimis verbis frgm. p. 200 et Arm. concordantes a textu graeco recedunt, legitur enim: ܚܝܠܐ ܕܨܠܝܒܐ ܕܡܪܢ. ܗܘ ܕܐܢܬܘܢ ܗܕܡܘܗܝ Arm. inde: Jam cum signo (ܢܝܫܐ legit pro ܚܝܠܐ cf. p. 40) crucis domini nostri (ܡܪܢ) vos membra estis ejus, Graecus contra *δι᾽ οὗ ἐν τῷ πάθει αὐτοῦ προςκαλεῖται ὑμᾶς ὄντας μέλη αὐτοῦ.*

Habemus igitur in versione Syri Curet. haud parvam hujus epistolae partem, capita 2—7, 8, 9—11. Desunt cap. 1, 11—13 quae nihil fere continent nisi salutationes et res privatas et adhortationes quasdam, omnia quae ad doctrinam et ad vitam pertinent in fragmentis leguntur.

III. Epistola ad Philadelphenos.

Epistolae ad Phil. fragmenta p. 199 leguntur, continent capp. 3, 4, 7, 10, omnia ad Syr. Curet. pertinent et ab Arm. sunt translata. Cap. 3 pars in versione Severiana exstat Curet. p. 218, l. 20. Verba Syri Curet. sunt: ܠܐ ܬܛܥܘܢ ܐܚܝ ܐܝܢܐ ܕܢܩܦ ܠܗܘ ܕܦܪܫ ܠܥܕܬܗ ܡܠܟܘܬܗ ܕܐܠܗܐ ܠܐ ܝܪܬ Severiana vero versio exhibet ita: ܗܘ ܕܢܩܦ ܠܐܢܫ, deinde post ܠܥܕܬܐ omittit ܕܐܠܗܐ et pro ܝܪܬ ponit ܝܳܪܶܬ. Quod ad singula pro *ἵνα ὦσί κατὰ Ἰη. ζῶντες* Arm. habet: et vivant in Jesu Christo sic et versio nostra ܕܢܗܘܘܢ ܚܝܝܢ ܒܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ. Sic et verba sequentia *εἴ τις σχίζοντι ἀκολουθεῖ* Arm. e syriaco supra allato vertit, qui socius est separatoris ecclesiae. Deinde *τῷ πάθει οὐ συγκατατίθεται,* Arm. vertit: non unitur (consentit) passioni Christi, quod e Syro profluxit, qui habet: ܗܢܐ ܠܚܫܗ ܕܡܫܝܚܐ ܠܐ ܫܠܡ. Vocem ܫܠܡ pro concordare jam in frgm. Syr. Curet. deprehendimus p. 200, l. 3, cf. Gal. 5, 25, Luc. 23, 52, statim et sequitur pro *ἕνωσις* nomen ܫܠܡܘܬܐ in phrasi *ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ.* *Σὰρξ* redditur ܦܓܪ ut Pol. 5, p. 35.

Cap. VII. *Ἐκραύγασα μεταξὺ ὤν* Arm. quando apud vos eram, vertit Syr. ܟܕ ܐܝܬܝ ܒܝܢܬܟܘܢ. Verba in graeco libro omissa ܒܩܠܐ ܕܐܠܗܐ Latinus *A* praebet. Vocem *προςέχετε* Arm. reddit obedientes manete, sic vero Syrus scripsit ܗܘܝܬܘܢ ܡܬܡܪܝܢ = *προςκαρτερεῖν* Act. 10, 7, Bibl. Orient. II, 12. Quae sequuntur *ὑποπτεύσαντές με ὡς προειδότα* Arm. vertit: Cogitaverunt de me, quomodo cognita habui (habuerim) ut Syrus ܘܐܝܬ ܐܢܫܐ ܕܚܫܒܘ ܥܠܝ ܕܐܝܟ ܡܢ ܕܝܕܥ ܐܢܐ Eodem modo et verba *ἀπὸ σαρκὸς ἀνθρωπίνης οὐκ ἔγνων* Arm. e Syro vertit ab hominibus, quod syriace legitur ܡܢ ܒܢܝܢܫܐ

Cap. X. Denique praeter usum solennem verborum ܫܐܠ, ܚܕܝ ܥܡ = *συγχαρῆναι* cf. Pol. 6, ܚܒܫ etc., de quibus supra egimus, nihil fere adjiciendum est, nisi quod et hic Armenii et Syri cognatio apparet, nam verbis *δοξάσαι τὸ ὄνομα* uterque addit *κυρίου,* ܕܡܪܝܐ; ܕܐܠܗܐ ܐܝܟ ܫܠܝܚܐ praecursor dei ut in frgm. Pol. 7, Curet. p. 201, l. 1 redditur ab Arm.; pro *αἱ ἔγγιστα ἐκκλησίαι* Syrus legens *ἁγίαι* scripsit ܥܕܬܐ ܡܩܕܫܬܐ quod Arm. reddit sanctae ecclesiae. Tamen hoc loco Arm. secundum librum graecum videtur esse emendatus.

IV. Epistola ad Smyrnaeos.

Fragmentum cap. 1—2 continens apud Severum exstat Curet. p. 214, et cum textu graeco bene convenit, tamen vestigia in eo insunt, e quibus cognosci potest versionem Syri Curet. ab eo fuisse diversam. Nam pro *καθηλωμένον ἐν σαρκὶ* Sever. habet ܒܒܣܪ Arm. vero affixus c o r p o r e, supra vero vidimus Syr. Curet. vocem ܦܓܪܐ adhibere pro graeco *σάρξ*. Sic Arm. et habet in diebus Pontii Pil. pro Severi phrasi ܒܝܕ ܦܝܠܛܘܣ ut supra e frgm. Trl. 9, Curet. p. 200, l. 13 verterat Syri Curet. verba ܒܝܕ ܦܝܠܛܘܣ. Praeterea cap. 2 Sever. *ἵνα σωθῶμεν* vertit ܡܛܠ ܕܢܬܦܪܩ quum supra viderimus Syr. Curet. usum versionis simplicis secutum pro *σώζεσθαι* ponere ܚܝܐ cf. p. 30.

Cap. IV. duplex exstat fragm. alterum Curet. p. 219, l. 10 ad vers. Sever. pertinens, alterum ad Syr. Curet. p. 202, l. 4. Prius ab Arm. recedit, hic enim habet cum Graeco: a feris humana forma indutis, frgm. autem ܡܢ ܚܝܘܬܐ ܒܫܪܐ ܕܠܒܝܫܝܢ ܚܝܘܬܐ ܘܕܡܘܬܐ ܠܒܘܫ ܕܒܢܝܢܫܐ. Deinde pro *παραδέχεσθαι* Arm. habet recipiendo recipere, frgm. vero ܠܡܩܒܠܘ, textus Syr. Curet., quem Arm. legit fuisse videtur ܡܩܒܠܘ ܠܡܩܒܠܘ cf. Rom. 4 ܢܩܒܠܘܢܢܝ ܢܩܒܠܘܢܢܝ. Sic et *συναναντᾶν* Arm. exprimit obviam eundo associari iis, ubi frgm. merum ܠܡܦܓܥ posuit. Denique verba *ἔχει ἐξουσίαν Ιη. χρ.* Arm. recte vertit: Super haec Jesu Christo est p o t e s t a s, frgm. autem ܥܠ ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܫܠܝܛ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ.

Posterius p. 202, l. 4 contra cum Armenio convenit. *Κατὰ τὸ δοκεῖν* ܒܡܣܒܪܢܘܬܐ cf. frgm. ad Trll. 10, p. 200, l. 18 ab Arm. recte redditur: at si opinione; *ἔκδοτον δέδωκα* Syr. ܐܫܠܡܬ Arm. tradidi; *ἐγγὺς μαχαίρας ἐγγὺς θεοῦ* Syr. ܐܢܐ ܕܝܢ ܕܩܪܝܒ ܠܣܝܦܐ ܩܪܝܒ ܠܐܠܗܐ Arm. Nam q u i propinquus est gladio, propinquus est deo; *μεταξὺ θηρίων* Syr. ܐܘ ܒܝܢܬ ܚܝܘܬܐ Arm. et si inter bestias, denique *ἐνδυναμοῦντος τοῦ τελείου ἀνθρώπου γενομένου* Syr. liberius ܘܡܚܝܠܢܝ ܠܝ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܐܠܗܢ Arm. qui corroborat me Jes. Christ. deus n o s t e r. Petermanno haec videtur emendatio monophysitica, sed et Syr. Curet. Rom. 9 habet ܐܠܗܢ.

Cap. V et VI ti pars e versione Sever. legitur apud Timoth. Alexdr. Curet. p. 210, l. 15 quae ab Armenio recedit. Verba *μετανοήσωσιν εἰς τὸ πάθος* Arm. vertit credant passionem. Tim. contra ܠܚܫܐ ܕܐܠܗܢ ܬܘܒ ܢܬܐ.

Cap. VIti fragmentum p. 219, l. 2 cum Timotheo convenit, etsi pro ܒܝܕܗ ܕܡܣܟܢܐ ܕܕܐܠܗܐ scribit ܡܣܟܢܐ ܕܐܠܗܐ. Denique verba *τὸ γὰρ ὅλον πίστις* Arm. reddit: Fides et amor est plenitudo omnis, Timoth. autem ܗܕܐ ܓܝܪ ܟܠܗ ܐܝܬܘܗܝ ܗܝܡܢܘܬܐ.

Capitum VIII. et IX. fragm. Curet. p. 199, l. 22 e Syro Curet. est desumtum itaque cum Arm. convenit. Sic e. g. *οὐκ ἐξόν ἐστι* Arm. reddit: Non est potestas, Syr. ܠܝܬ ܫܘܠܛܢܐ; *χωρὶς ἐπισκόπου* ܒܠܥܕ ܡܢ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ut in frgm. Phild. 7, p. 199, l. 15; *ἀγάπην ποιεῖν* Arm. requietem facere. Jam Peterm. qui hoc fragm. non habuit, syriace ܢܝܚܬܐ scriptum fuisse, conjecerat laudato loco Judd. 14, 12, id quod fragmento comprobatur. *Δοκιμάσῃ* Arm. explorabit Syr. ܒܩܐ cf. Pesch. Hebr. 3, 9, Gal. 6, 4. *Ἀσφαλὲς καὶ βέβαιον* Arm. ut fiat verum et fide dignum vertit syr. ܫܪܝܪ ܘܡܗܝܡܢ, denique *ὁ λάθρα ἐπισκόπου τι πράσσων* Arm. qui operatur aliquid et abscondit ab episcopo Syr.: ܐܢܫ ܕܝܢ ܕܥܒܕ ܡܕܡ ܘܡܛܫܐ ܡܢ ܐܦܝܣܩܘܦܐ.

Habemus igitur ex hac epistola in versione Syri Curetoniani cap. 4, 8—9.

Sic igitur versio Syri Curet. non tres tantum verum septem epistolas continuit, quas Eusebius enumerat, et composita videtur haec versio jam ante Eusebii tempora. Versio enim Severiana, quae quum magis in verbis haerens singula quaeque accuratius reddat, versione Syri Curet. videtur recentior, in loco Eph. 7. Curet. p. 218, l. 11, ubi textus receptus et Athanasius Curet. p. 164 habent *γεννητὸς καὶ ἀγέννητος* scribit ܒܪܝܐ ܘܠܐ ܒܪܝܐ quod et Gelasius Curet. p. 173 exprimit factus et non factus. Haec lectio (*ποιητὸς καὶ οὐ ποιητὸς*) nobis originalis videtur, quod post concilium Nicaenum facile haec phrasis haeresim redolens in orthodoxam potuerit mutari, non autem vice versa. Quodsi vero haec phrasis in versione Sever. intacta est relicta non sine specie veritatis constitui potest, hanc versionem ante Arianorum tempora fuisse compositam; hoc vero si recte se habet, versio Curet. etiam

antiquior est habenda. Apud Athanasium [illegible] est con- tata, quod non est mirum, quum per totam fere ecclesiam Ignatius orthodoxae christologiae defensor sit habitus. [illegible] comprobant excerpta Ignatiana aethiopica Curet. p. [illegible], quae nihil continent, nisi quod contra haereticas in christologia opi- niones sit dictum. Sed quamvis aperte non sint genuina, ta- men vel in his excerptis locum habemus qui ex epp. Ignat. [illegible] sumtus videtur esse, cui enim qui legit እሙን፡ በልዐ፡ ወሰትየ፡ non in mentem venit loci Trll. 9, ὃς ἀληθῶς ἐγεννήθη, ἔφαγεν καὶ ἔπιεν?

Locus aethiopicus Curet. p. 261 verbis cap. 3 ad Philip- penses, in quo scriptor cap. 9 ad Trl. memoria videtur te- nuisse. Textus graecus est: Ἀληθῶς οὖν ἐγεννήθη, ἀληθῶς [illegible] ηὐξήθη, ἀληθῶς ἔφαγε καὶ ἔπιεν, ἀληθῶς [illegible] θανε καὶ ἀνέστη. Ὁ ταῦτα [illegible] μὴ πιστεύων ἐναγής. Verba aethiopica haec sunt:

ሰማን፡ ተወልደ፡ እግዚእን፡ ኢየሱስ፡ ክርስቶስ፡ ፡ እሙን፡
ልህቀ፡ ወእሙን፡ በልዐ፡ ወሰትየ፡ እሙን፡ ተሰቅለ፡ እሙን፡
ሐመ፡ ወሞተ፡ ወተቀብረ፡ ወተንሥአ፡ እሙታን፡ [illegible]
በዝንቱ፡ ከመዝ፡ ብፁዕ፡ ውእቱ፡ [illegible]
ውእቱ፡ እምሕይወት፡ ብፁዕ፡ [illegible]

Una igitur lectio [illegible] ter repetita in excerptis syr. et commendata etiam Gelasii auctoritate nobis sufficere videtur ad definiendum tempus versionis Severianae, quae post Syrum Curetonianum est composita; neutra ergo post initium haereseos Arianae nobis videtur conferta.

Syrum Curet. Armenius est secutus, at unde desumsit ille epistolas quinque apud Syrum Curet. non exstantes, quas eo- dem modo e lingua syriaca transtulit? Primum vix aliquid objici potest, si statuimus etiam reliquas quinque Ignatii epp. syriace esse redditas, quum hoc ipsa versione armeniaca com- probetur, facillime enim epistolis iis, quae syriace jam exsti- terunt eae potuerunt addi, quae graece exstantes Ignatii no- mine circumferebantur. Tum vero ipse Curetonus fragmen- tum epistolae ad Tarsenses nobiscum communicavit, cujus epistolae initium in alio codice ita legitur: [illegible]

¹) Errore sculptoris factum est, ut pro [illegible] in textu legatur [illegible].

ܠܪܗܘܡܝ ܥܡ ܚܝܘܬܐ ܡܬܟܬܫ ܐܢܐ cf. Rom. 5. Arm. A Syria usque Romam cum bestiis pugno. Haec igitur epistola tota syriace versa videtur fuisse, unde non sine maxima veritatis specie opinari licet, reliquas quoque quatuor ad Mariam Cassobol., ad Heronem, ad Antiochenos, ad Philippenses syriace redditas esse. Haec vero versio si omnino e loco brevissimo judicium ferre possumus non iisdem viris debetur a quibus versio Syr. Curet. et Sever. est composita. Nam vox *δοκεῖν*, quam Syr. Curet. Pol. 3, Trll. 10, frgm. p. 200, l. 18, Sm. 4 frgm. p. 202, l. 4 vertit ܐܣܬܒܪ et ܡܣܒܪܢܘܬܐ, quam vers. Sever. Trll. 10 frgm. p. 214, l. 6 exprimit ܡܣܒܪܘܬܐ, in frgm. ep. ad Tars. 2, p. 364 vertitur ܚܙܝܘܬܐ. Quum vero in rebus dogmaticis usus verborum firmus soleat esse, non ad eundem scriptorem, a quo profecta est versio Syri Curet. aut Severiana, hoc fragmentum videtur referendum. Cf. epilogum.

Postquam sic Syro Curetoniano et fragmenta aliarum epistolarum attribuimus, et in fragmentis ipsis duplicem versionem distinximus, ad propositum perficiendum nihil deest, nisi ut connexum textus syriaci epp. ad Polyc. Eph. Rom. examinemus, qua in re vidibimus, textum illum esse mancum ac disruptum, ita ut tali modo opinio nostra de versionis syriacae indole non externis solum verum et internis argumentis confirmetur.

Caput quintum.

De locis in recensione syriaca omissis deque lectionibus, quibus a graeca recedat.

Argumentum, quod primo obtutu gravissimum videtur, pro syriacae recensionis authentia Curetonius protulit, Introd. p. XLII dicens, syriacam epp. Ignt. formam ea re summopere commendari, quod singulae sententiae optime inter se cohaereant, quamvis tot loci sint omissi. Sed hujus argumenti vis non tam est magna, quam ille vult, nam qui librum excerpit nexum et in excerpto debet servare, quod si non facit rem suam male instituit. Sicut in longiore recensione additamentis nexus neutiquam est ruptus, sic et in recensione syriaca, licet

haud pauca sint omissa, universus scriptoris tenor cerni debet, et hoc eo facilius in his epistolis fieri potuit, quo minus stricte singulae sententiae in iis cohaerent, nam ubi singula non arcte sunt conjuncta lacuna non bene sentitur. Tamen et in his epistolis satis multa habemus exempla, quibus comprobatur, earum formam originalem esse non posse. Sic prima res est, quam unusquisque, qui recensionem syriacam legit, debet offendere epistolarum exitus. Nam postquam scriptor, ut Horatii verbo utar in exordio ampullas projecit, in fine tam abrupte scribit, ut epp. ad Pol. et ad-Eph. omni salutandi formula careant et ea quam habet ep. ad Rom. minime pro brevitate sua conveniat verbis sesquipedalibus ab initio positis. Jam sola hac re suspicio contra Syri authentiam movetur, quae etiam augetur si singulas epistolas perlustramus.

I. Epistola ad Polycarpum.

In ep. ad Pol. Syrus cum rec. graeca plerumque convenit. Quod primo capite vocem *ὁμοήθεια* reddit ܒܝܢܐ, nullius est momenti, lingua sua non facile hoc compositum potuit reddere. *Ὁμήθεια* enim est vita communis sive si *ὁμοήθεια* legitur, quod redit ad *ὁμοηθής* iisdem moribus praeditus, cf. Philostrat. vit. Apol. p. 61, 1 est aequalitas morum. Sensus enuntiati est: Omnes alloquere secundum similem dei consuetudinem, id quod interpres latinus *A* recte expressit. Lectio *βοήθεια* falsa est, Syr. vero locum nimis negligenter vertit scribens: Cum quovis homine loquere secundum Dei voluntatem. Alter locus quo Syr. cum Graeco non convenit est cap. II. *ὁ καιρὸς κτλ.* ubi Lipsius textum bene ita restituit: *ὁ καιρὸς ἀπαιτεῖ σε ὡς κυβερνήτης ἀνέμους καὶ ὡς ναῦς χειμαζομένη λιμένα εἰς τὸ θεοῦ ἐπιτυχεῖν.* Syr. vocem *ἀνέμους* omittens et infinitivum *εἰς τὸ θεοῦ ἐπιτυχεῖν* solvens ita scribit: ܙܒܢܐ ܬܒܥ ܠܟ ܐܝܟ ܡܕܒܪܢܐ ܠܐܠܦܐ. ܘܐܝܟ ܐܢܫ ܕܩܐܡ ܒܥܠܥܠܐ ܠܠܡܐܢܐ ܕܬܫܬܘܐ ܠܐܠܗܐ, i. e. tempus postulat, ut gubernator navem et ut is qui stat in procella portum, ut deo dignificeris. Apparet totam imaginem hoc in textu esse corruptam; Bunsenius locum emendare studet pro *ἀπαιτεῖ σε* ponens *ἀπαιτεῖν*, quod textus graeci phrasin ab antiquo dicendi genere censet alienam; tamen jam

Sophocles dicit Electra vs. 39: *ὅταν σε καιρὸς εἰςάγῃ δόμων ἔσω τῶνδε κτλ.* cf. vs. 21, 75 et Philoctet vs. 837.

καιρός τοι πάντων γνώμαν ἴσχων
πολὺ παρὰ πόδα κράτος ἄρνυται.

Sic et Pindarus Pyth. 9, 79 *ὁ δὲ καιρὸς ὁμοίως παντὸς ἔχει κορυφάν.* et Pyth. 4, 286 *ὁ γὰρ καιρὸς πρὸς ἀνθρώπων βραχὺ μέτρον ἔχει.* Cf. Bunsen, Die drei echten und die vier unechten Briefe etc. p. 35. Infinitivus *εἰς τὸ θεοῦ ἐπιτυχεῖν* nostro quidem judicio a Syro false redditur, non enim sic enuntiatum est solvendum: Tempus postulat (omisit Syr. *σὲ*) ut deo dignificeris sed ita: Tempus expostulat te ut deo dignificetur, scil. opera tua. Tum quae praecedunt apta sunt, Ignatius enim nulla gratia egere vult Polycarpum, quia tempora ejus vires postulant, ut aetas illa in Dei communionem veniat. Imago quae in textu graeco est, quamvis minime elegans, intelligi potest, Syrus autem nugas habet, quum dicat: Ut gubernator navem etc., sic tempus expetit ut deo dignificeris.

Deinde cap. III. ubi Syrus habet ܩܘܡ ܕܝܢ ܒܫܪܪܐ ܐܝܟ ܐܬܠܝܛܐ ܕܚܠܠ in libro graeco legitur *ὡς ἄκμων τυπτόμενος,* quod magis originale jam eam ob causam est, quod comparatio hominis cum incude non est communis. Syrus vero bis ܐܬܠܝܛܐ ponens loci peculiaritatem tollit. Cap. IV. vero sine dubio Syr. rectam lectionem servavit ܩܘܡ ܒܫܪܪܐ = *εὐστάθει* quod et interpolator habet, neque est cur imperativum hunc respuamus, quum tota fere epistola ex brevibus enuntiatis sit composita. Qui *εὐσταθὴς* vult servare addere debet participium *ὤν*. Cap. V. Bunsenius vocem *κακοτεχνίας* contra Syri, amborum Graecorum et Latinorum auctoritatem mutat in *τὰς κακοτέχνους* (die wälsch coquetten weiber!) p. 37. Quod si vero *κακοτεχνία* res est tam foeda, nonne *κακότεχνος* est homo malis illis artibus est imbutus? Quid igitur hac emendatione emendatur? Et quid sibi volunt sequentia *μᾶλλον περὶ ταύτων* (*τῶν κακοτέχνων γυναικῶν*) *ὁμιλίαν ποίει?* Jubetne Ignatius Polycarpum de mulieribus illis sermonem facere? Res sane ad aedificandam ecclesiam aptissima![1]) Eodem capite Graec. min.

---

[1]) Cf. Uhlhorn in Niedner, Ztschrft. 1851, p. 26 qui *κακοτεχνίαι* de pravo dicendi genere intelligit (?).

habet *ἐὰν γνωσθῇ πλέον τοῦ ἐπισκόπου* quod Syr. reddit ܐܢ ܐܬܝܕܥ ܠܒܪ ܡܢ ܐܦܝܣܩܘܦܐ unde Curet. et Lips. restituunt *πλὴν* pro *πλέον*; addendum tamen videtur Magn. 10 *πλέον* eodem modo ut hic esse positum, legitur enim ibi *ὃς γὰρ ἄλλῳ ὀνόματι καλεῖται πλέον τούτου οὐκ ἔστιν τοῦ θεοῦ.*

E capp. VII. et VIII. Syrus duos tantum locos affert, hic igitur si textus graecus additamentis esset adulteratus praestantia recensionis syriacae videri deberet, at nullam praestantiam invenimus. Ultima verba enim ܫܐܠ ܐܢܐ ܫܠܡܗ ܕܗ̇ܘ ܐܢܫ ܕܡܫܬܘܐ ܕܢܐܙܠ ܠܐܢܛܝܘܟܝܐ ܐܝܟ ܕܦܩܕܬ non possunt redire nisi ad locum cap. 7 *πρέπει Πολύκαρπε κτλ.* qui syriace exstat p. 200, l. 27, sine quo plane non possunt intelligi. Futile enim hoc argumentum Ignatium quum Smyrnae apud Polycarpum fuisset, hac de re cum eo locutum esse, nemo proferet; primum enim nihilominus Ignatius rem tam gravem, quam legationem Antiochiam mittendam tam leviter non potuisset tangere, deinde quoque ex hoc argumento colligi posset totâ epistolâ non opus fuisse, quum adhortationes tam parum originales, quales haec epistola continet, vix unquam, et multo minus viro episcopali munere fungenti sint necessariae. Praeterea et Eusebius locum cap. VII. aperte respicit, quum scribat *H. E.* 3, 36 (*Ἰγνάτιος*) *ἀπὸ Τρωάδος . . . διὰ γραφῆς ὁμιλεῖ . . . Πολυκάρπῳ, ὃν οἷα δὴ ἀποστολικὸν ἄνδρα εὖ μάλα γνωρίζων, τὴν κατ' Ἀντιόχειαν αὐτῷ ποίμνην ὡς ἂν γνήσιος καὶ ἀγαθὸς ποιμὴν παρατίθεται, τὴν περὶ αὐτῆς φροντίδα διὰ σπουδῆς ἔχειν αὐτὸν ἀξιῶν.* Huc denique accedit, quod ratio interpolatoris admodum mira esset, si locum cap. 7—8 textui originali addidisset, qui res dogmaticas omnino non continet, ad quem enim finem libri spurii sunt fabricati, nisi ad commendanda dogmata? An fortasse falsarius genuinae huic epistolae addidit locum hunc, ut quum senserit suum dicendi genus ab Ignatiano recedens proditurum esse originem reliquarum epistolarum fictarum, in genuinis quoque epistolis hoc genus dicendi ostendere posset? O foedissimam falsarii astutiam, qui impiis manibus genuina quaeque sordibus suis maculavit! Nos vero gratiam ei habere debemus quod locum alioquin obscurum fraude sua perspicuum reddidit. Talis Syri defensio magis, quam omnia quae contra eum proferri possunt, Graeci

libri authentiam comprobat. Non igitur dubitamus quin Syrus hoc loco sit mancus, neque valent contra nos, quae Curetonius p. 310 de discrimine styli in capitibus his pro spuriis ab eo habitis disseruit cf. et Introd. p. XLIII. Eodem modo enuntiatum quod praecedit apud Syrum *ὁ χριστιανὸς ἑαυτοῦ ἐξουσίαν οὐκ ἔχει* neque cum praecedentibus neque cum sequentibus cohaeret. Antea enim secundum Syrum dixerat scriptor: *μακροθυμήσατε μετ' ἀλλήλων κτλ. ὀναίμην ὑμῶν διὰ παντός,* tum sequitur *ὁ χριστιανὸς κτλ.* denique *ἀσπάζομαι τὸν μέλλοντα κτλ.* Num quid abruptius esse potest? Cur non Polycarpum ejusque gregem salutat, sed eum tantum qui Antiochiam mittetur? In recensione graeca vero enuntiatum *ὁ χριστιανὸς κτλ.* optimum habet locum. Jubet enim Ignatius legatum mitti, et quum electo viro munus non facile obveniat, addit, christianum sui ipsius potestatem non habere, sed deo debere vacare, cui sententiae tum bene conveniunt quae sequuntur *πιστεύω γὰρ τῇ χάριτι ὅτι ἕτοιμοί ἐστε εἰς εὐποιΐαν θεῷ ἀνηκούσαν.* Sane admirabilis ars interpolatoris esset si nexum meliorem quam scriptor ipse produxisset. Sed haec sufficiant de hac epistola, cujus exitus luculenter demonstrat, Syrum originalem formam non exhibere.

II. Epistola ad Ephesios.

Multo magis quam ep. ad Pol. mutilata est ep. ad Ephesios, et ut in illius fine nexus ruptus est, sic in tota hac epistola ea quae Syrus exhibet tanquam disjecta membra non bene inter se cohaerent. E capp. II—VIII Syrus nihil habet nisi verba cap. III. ܐܠܐ ܡܛܠ ܕܚܘܒܐ ܠܐ ܫܒܩ ܠܝ ܕܐܫܬܘܩ ܡܢܟܘܢ. ܡܛܠ ܗܢܐ ܩܕܡܬ ܕܐܒܥܐ ܡܢܟܘܢ ܕܬܬܚܦܛܘܢ ܒܨܒܝܢܐ ܕܐܠܗܐ i. e. sed quoniam amor non sinit me tacere de vobis propter hoc constitui adhortari vos ut operam detis voluntati dei. Quo vero illud ܐܠܐ est referendum? Capite primo enim scriptor explicuerat, Ephesios ad videndum eum properasse, tum sequitur anantapodoton, hoc: Postquam ergo multitudinem vestram in nomine dei accepi in Onesimo etc. quem vos secundum Christum volo amare et quem vos omnes cupio imitari . . . . Interposita deinde est exclamatio haec: Benedictus sit qui quum si-

tis digni talem vobis dedit episcopum, denique sequitur: sed quoniam amor etc. Particula adversativa apud Syrum nihil habet quo referatur, quum nullo loco Ignatius dixerit tale quid ac, sese scribere vix posse, cui tum opponi posset enuntiatum adversativum: sed quod amor me non tacere sinit, tamen scribere constitui. In textu graeco autem adversativum *ἀλλὰ* verbis ab initio cap. II. positis *οὐ διατάσσομαι ὑμῖν ὡς ὤν τις* bene respondet. Praeterea vero caput II. a Syro omissum nihil fere continet nisi nomina Ephesiorum, ut videtur eorum, qui Ignatium viserant. Et haec nomina fingere tam inutile est, ut ne stultissimus quidem falsarius ea finxisset. Textus syriacus igitur hoc loco est mancus, graecus contra sanus; quae Syrus omittit ad res dogmaticas non pertinent, ita ut ea addidisse operae pretium non fuisset; nihil aliud inde sequitur nisi epistolam graecam a Syro esse excerptam.

Verba cap. III. apud Syrum excipit initium cap. VIII. *ὅταν γὰρ μηδεμία ἐπιθομία* (gr. *ἔρις*) *ἐνείρισται ἐν ὑμῖν ἡ δυναμένη ὑμᾶς βασανίσαι ἄρα κατὰ θεὸν ζῆτε.* Nihil de cupidinibus praecedit, nihil ad quod explicandum *γὰρ* est positum. Dixerit fortasse quispiam verbis illis explicari, quid sit *συντρέχειν τῇ γνώμῃ τοῦ θεοῦ*, at deest adhortatio ipsa, quae verbis *ὅταν γὰρ κτλ.* negativo tantum modo inest. Logice dici deberet: Hortor vòs, ut secundum Dei voluntatem curratis; exstinguite omnes cupidines, nam si nulla cupido etc. In libro graeco vero verba *ὅταν γὰρ μηδεμία ἔρις* cum praecedentibus arcte conjuncta sunt[1]). Cap. VI. enim Ignatius ab Onesimo Ephesiorum episcopo traditum sibi esse dicit, inter Ephesios non esse haereticos, quo facto cap. VII. eos commonefacit rectae christologiae eosque monet ne seducantur, quum si lites (scil. de doctrina) inter eos non sint, secundum Deum vivant. Nonne textus graecus syriaco longe est concinnior?

Eodem modo verbis caput IX. incipientibus omissis Syri nexus est corruptus. Imago desumta est de aedificatione et singula quae leguntur *ἀναφερόμενοι εἰς τὰ ὕψη διὰ μηχανῆς Ιη. χρ. σχοινίῳ χρώμενοι τῷ ἁγίῳ πνεύματι* inde explicantur,

[1]) Idem censet Uhlhorn in Niedner, Ztschft. p. 36.

quod supra Christiani *λίθοι ναοῦ Πατρὸς* dicuntur, et hi lapides sunt, qui machina et fune elevantur. Hanc vero ipsam vocem *λίθοι* Syr. omisit, ita ut apud eum imago plane sit turbata. Sic scriptor sanus rem suam non potuit instituere. Exitum capitis, quem Syrus omisit, non aegre desideramus, quum inde a capite decimo nova res explicetur nempe quomodo Christiani infideles debeant tractare.

Jam a capite decimo ad decimum octavum Syrus nihil habet nisi locos e cap. XIV. et XV., qui sic inter se sunt conjuncti: Postquam scriptor dixit, quae ratio debeat intercedere inter paganos et christianos pergit *τῇ δὲ ἐπιεικείᾳ μιμηταὶ τοῦ κυρίου σπουδάζωμεν εἶναι, τίς πλέον ἀδικηθῇ, τίς ἀποστερηθῇ, τίς ἀθετηθῇ;* cap. XIV. *οὐχ ὅτι ἐπαγγελία τὸ ἔργον, ἀλλ' ἐν δυνάμει πίστεως ἐάν τις εὑρεθῇ εἰς τέλος.* cap. XV. *Ἄμεινόν ἐστι σιωπᾶν καὶ εἶναι, ἢ λαλοῦντα μὴ εἶναι, ἵνα δι' ὧν λαλεῖ πράσσῃ, καὶ δι' ὧν σιγᾷ γινώσκηται*[1]). Quis est qui hoc loco sententiarum nexum possit intelligere? Nihil antea de promissione *ἐπαγγελία* exstat, nihil de vi fidei, quae omnia in graeca epistola apte sunt posita. Nam postquam cap. XIV. dictum est verae vitae principium esse fidem, finem vero caritatem, pergitur: sicut arbor e frugibus cognoscitur, sic et ii qui Christiani esse polliciti sunt ex operibus cognoscuntur, quae sententia finitur optime verbis *οὐ γάρ ἐπαγγελίας τὸ ἔργον ἀλλ' ἐν δυνάμει πίστεως ἐάν τίς εὑρεθῇ εἰς τέλος.* Nec minus verba *ἄμεινόν ἐστι σιωπᾶν κτλ.* in epistola syriaca explicatione necessaria egent, quae in graeca additur verbis his *καλὸν τὸ διδάσκειν ἐὰν ὁ λέγων ποιῇ.*

Jam pervenimus ad cap. XVIII—XIX, in quibus gravissimum inter Syrum et Graecum est discrimen. Sed quod hucusque textum graecum syriaco meliorem invenimus, hoc loco primum recensionem graecam seorsim introspicere liceat. Cap. XVI. Ignatius exponit doctores haereticos in Gehenna punitos iri, tum cap. XVII. dicit, Dominum eam ob causam unguentum in caput suum recepisse, ut ecclesiae inspiret in-

---

[1]) Textum a Lipsio restitutum transscripsimus, qui verba Syri ܠܘ ܕܫܘܘܕܝܐ, quae in textu recepta respondent gracco *οὐ γὰρ ἐπαγγελίας* ita solvit *οὐχ ὅτι ἐπαγγελία.* Tamen et sic Syri nexus non restituitur.

corruptionem. Nemo igitur unguatur foetore doctrinae principis hujus mundi (*τοῦ ἄρχοντος τοῦ αἰῶνος τούτου*), ne perdatur. Pergit deinde quaerens: Cur non omnes sunt prudentes, accipientes cognitionem Dei, quae posita est in Christo Jesu? Cur stulti perdimur gratiam ignorantes, quam misit Dominus?

Quaestionibus his tum respondet cap. XVIII. Ignatii confessio, spiritum suum *περίψημα* esse crucis, quae infidelibus sit scandalum, credentibus vero salus. Tum addit *ποῦ σοφός; ποῦ συζητὴς κτλ.,* scil. omnes sapientia sunt destituti, qui non credunt, *ὁ γὰρ θεὸς ἡμῶν Ιη. χρ. ἐκυοφορήθη κτλ.* Quum vero cap. XVII. locutus sit de *δυσωδία τῆς διδασκαλίας τοῦ ἄρχοντος τοῦ αἰῶνος τούτου,* cap. XIX. explicat, quae haec sit *δυςωδία,* atque nihil est nisi haereticorum falsa de Christo doctrina, nam quum Satanae Mariae virginitas, ejus partus et mors domini sint ignota etiam haeretici, qui Satanae sunt servi, harum rerum rectam cognitionem non possunt habere. Quomodo vero, deinde pergit, haec tria mysteria clamoris, quae in silentio sunt perfecta, mundo sunt revelata? Per astrum (Magorum), a quo incepit *τὸ παρὰ θεῷ ἀπηρτισμένον.* Finis vero hujus revelationis est *θανάτου κατάλυσις.* Cap. XX. pollicetur se alia epistola, quam sit scripturus, Ephesiis manifestaturum esse, qualem dispensationem, *οἰκονομίαν,* in Christo inceperit. Sequuutur deinde salutationes. Apparet igitur, quam strictus sit recensionis graecae nexus, neque quidquam in ea inest, quod intelligi non possit, quum singulae ideae, quae hic occurrunt et apud alios scriptores legantur. Primum *μυστήρια κραυγῆς ἅτινα ἐν ἡσυχίᾳ θεοῦ ἐπράχθη* sunt mysteria, quae nunc sunt diffamata, antea vero in Deo occulta erant; *ἐπράχθη* dicit, quod velle et efficere in Deo est idem. Simile quid Paulus dicit 1 Cor. 2, 7 *λαλοῦμεν θεοῦ σοφίαν ἐν μυστηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμμένην, ἣν προώρισεν ὁ θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων εἰς δόξαν ἡμῶν, ἣν οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου ἔγνωκεν, εἰ γὰρ ἔγνωσαν οὐκ ἂν τὸν κύριον τῆς δόξης ἐσταύρωσαν . . . . ἡμῖν δ' ἀπεκάλυψεν ὁ θεὸς διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ.* Cf. et Col. 1, 26 *τὸ μυστήριον ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν, νυνὶ δὲ ἐφανερώθη τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ;* 2 Tim. 1, 9 . . . *κατ' ἰδίαν πρόθεσιν καὶ χάριν τὴν*

δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων, φανερωθεῖσαν δὲ νῦν διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰη. χρ. κτλ.; Rom. 16, 25 *ἀποκάλυψις μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου, φανερωθέντος δὲ νῦν διὰ γραφῶν προφητικῶν κατ' ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου θεοῦ.*

Omnes hi loci ut locus Ignatianus redeunt at vitam Christi humanam, Ignatius vero tria miracula diserte enumerat, virginitatem Mariae, ejus partum et domini mortem. Quod vero dicit diabolum ignorasse Mariae virginitatem inde explicatur, quod Christiani antiqui putabant, Satanam opera divina imitantem homines seducere. Sic e. g. dicit Tertullianus, ethnicorum lavationes baptismi esse imitationem et addit de Bapt. 5: quo agnito hic quoque studium diaboli recognoscimus, res dei aemulantis, cum et ipse baptismum in suis exercet. Sic igitur si Mariae virginitatem diabolus novisset, etiam hoc miraculum imitatus esset, ut homines falleret, ut dicit Ephrem Syrus in hymno 19 adversus haereses:

ܡܪܝܡ ܗܝ ܒܠܚܘܕ ܝܠܕܐ ܕܠܐ ܓܒܪ
ܕܐܠܗܐ ܟܠ ܡܕܡ ܦܫܝܩ ܠܗ
ܘܐܠܘ ܡܠܐܟܐ ܐܘܠܕܘ ܠܐ ܬܡܗܐ ܗܘ
ܒܬܘܠܬܐ ܕܝܠܕܐ ܠܦܪܘܩܢ
ܚܕܐ ܗܘܐ ܓܝܪ ܣܛܢܐ ܕܢܚܙܐ
ܒܬܘܠܬܐ ܡܢ ܫܐܕܐ ܘܒܛܢܝ
ܘܒܒܬܘܠܬܐ ܢܕܡܐ ܠܗ ܡܪܝܡ ܒܬܘܠܬܐ
ܢܟܠܘܗܝ ܕܡܐ ܒܒܬܘܠܬܐ
ܒܠܚܘܕ ܐܬܙܟܝ ܕܠܐ ܕܡܐ

i. e. Maria sola peperit sine viro, quod deo omnis res est facilis. Et si angeli gignerent, non mirum esset, quod virgo peperit salvatorem nostrum; delectatus enim esset Satanas quod conciperent virgines e daemonibus et parerent, ut virgine imitaretur Mariam virginem. Dolus ejus omnia imitatur, in virgine solum devictus est ita ut non sit imitatus. Postquam deinde Diaboli modum descripsit pergit: ܪܡ ܐܦ ܪܡܙ

ܨܳܡ ܐܳܪܩܽܘ ܘܨܰܠܺܝ ܛܰܫܺܝ ܢܶܟܠܶܗ ܘܚܰܘܺܝ ܫܰܦܺܝܪܳܬܳܐ ܟܽܠ ܒܬܽܘܠܽܘܬܳܐ ܥܰܡ ܝܰܠܕܳܐ ܠܳܐ ܡܨܳܐ
ܠܡܶܚܘܳܝܽܘ. ܒܒܬܽܘܠܬܳܐ ܗܽܘ ܐܳܪܩܽܘ ܐܶܙܕܟܺܝ ܕܠܳܐ ܢܶܬܕܰܡܶܐ ܠܳܗ ܘܝܶܠܕܰܬ ܒܬܽܘܠܳܐܺܝܬ,
i. e. jejunavit (diabolus) et precatus est, occultavit dolum suum et ostendit pulchra quaeque. Virginitatem cum partu non potuit ostendere, in virgine ejus dolus victus est, ut eam non sit imitatus, et peperit virginaliter. Hoc loco quidem notandum est Ephremum negare angelos et daemones posse generare cf. et Ephr. Hymn. in Paradisum 1; alii tamen scriptores primaevae ecclesiae daemones libidinibus admodum deditos esse contendunt, sicut Clem. Hom. 9, 10 dicitur, molestum esse daemonibus sine corporibus esse, quum tum voluptatibus suis non possent indulgere[1]).

Porro quod dicit, diabolum Mariae partum ignorasse, et alii scriptores concedunt, sic Theodorus Mopsuestenus dicit contra Julianum, post baptismum demum Christum a Satana esse cognitum. Cf. ep. Ignt. ad Philipp. 9. Vide Münter, frgm. patrr. graec. fasc. I, p. 99. Quod vero dicitur, mortem Christi Satanae fuisse ignotam, non est quod mireris, ut Curetonius p. 286, hunc locum offendit, non enim hoc referendum est ad factum mortis sicut neque *ὁ τοκετὸς* ad factum partus, facta enim haec et in N. T. diabolus novit, sed intelligendum hoc est de tempore Christi partum praecedente; ignoravit haec diabolus, quam diu apud Deum erant recondita, et hoc eam ob causam, ne miracula illa possit imitari, postquam enim semel facta sunt, fictae diaboli repetitioni nemo fidem haberet. Verba igitur *ὁμοίως καὶ ὁ θάνατος τοῦ κυρίου* non sunt ejicienda; mors pertinet ad tria mysteria clamoris. Qui vero eam ob causam haec verba respuunt, quod in ep. Ignt. ad Philipp. cap. VIII. et in commt. Theophili Antiocheni Curet. p. 158 sunt omissa, recordentur, Theophilum quaestioni respondentem, quare non ex simplice virgine sed ex desponsata conceptus sit Christus mortem Domini commemorare non potuisse. Eodem modo Philp. VIII. quae ex loco Eph. XIX. sunt desumta, eo proposito sunt inserta, ut simili quaestioni repondeant, quum cap. VII.

---

[1]) Cf. Justin. Mart. Apol. min. 5: *οἱ δ' ἄγγελοι γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν, οἵ εἰσιν οἱ λεγόμενοι δαίμονες.* Cf. librum Henoch. 2, 7.

interrogetur *πῶς πάλιν οὐκ ἔτι σοι δοκεῖ ὁ Χριστὸς εἶναι ἐκ τῆς παρθένου*. Cf. ep. Ignt. ad Philippensis cap. 3—4 [1]).

Sic igitur recensionis graecae nexus non solum est sanus, verum etiam nihil continet quod non illius aevi opinionibus bene conveniat. His omnibus denique accedit, quod totum fere locum apud varios scriptores graece et in versione Severiana syriace habemus. Graeca fragmenta leguntur apud Theodoretum Curet. 171, apud Eusebium p. 164 et Andream Cretensem, denique Jobius Monachus sensum loci affert ita Curet. p. 174: *φησὶ Ιγν. τρία λαθεῖν τ. ἀρχ. τοῦ. αἰων. τούτ., τὴν παρθενίαν Μαρίας, τὴν σύλληψιν τοῦ κυρ. καὶ τὴν σταύρωσιν.* Andreas Cret. pro *μυστήρια κραυγῆς* insulsum *μυστήρια φρικτά* habet, qua in re puto *ΦΡΙΚΤΑ* ortum esse ex *ΚΡΥΠΤΑ*, quod e *ΚΡΑΥΓΗΣ* corruptum est. Pro lectione recepta cap. XVIII, *ἵνα τῷ πάθει τὸ ὕδωρ καθαρίσῃ*, Theodoret. legit *ἵνα τὸ θνητὸν ἡμῶν καθαρίσῃ*, quod intelligi vix potest. Apte vero in textu recepto Christi baptismus conjungitur cum verbis *ἵνα τὸ ὕδωρ κτλ.* Christus enim ipse baptizatus est, ut (postea) passione aquam (ad baptizandos Christianos) purificet. Similiter dicit Tertullianus de Bapt. 9: Aqua de amaritudinis vitio in usum (al. suum) commodum suavitatis Mosei ligno remediatur. Lignum illud erat Christus, venenatae et amarae retro naturae venas in saluberrimas aquas baptismi scilicet ex sese remedians.

Fragmenta syriaca exstant Curet. p. 219, l. 20, p. 211, l. 18 et p. 218, l. 3. Conveniunt ambae versiones in verbis *περίψημα τὸ ἐμὸν πνεῦμα τοῦ σταυροῦ*, quae reddunt libere ܣܓܝܕܐ ܪܘܚܝ ܠܙܩܝܦܐ cf. p. 41; vocem *ἀπιστοῦσιν* vero vario modo reddunt, Syr. Curet. ܡܬܦܠܓܝܢ vers. Sev. ܠܐ ܡܗܝܡܢܝܢ sicut in Pesch. solet verti. In fragm. p. 211 pro *ἵνα τῷ πάθει τὸ ὕδωρ καθαρίσῃ* legitur ܕܒܚܫܗ ܢܩܘ̈ܫܐ ܡܝܐ, id quod apertum est vitium, pro ܢܩܘܫܐ scribendum est ܢܚܣܐ, in fragm. p. 219 eodem modo pro ܢܚܐ ex frgm. p. 211 restituendum est ܢܚܣܐ; infra vero ubi graece legitur *εἰς καινότητα ἀϊδίου ζωῆς*

[1]) *ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου . . . ἔν τισιν ἐνεργεῖ ἀρνεῖσθαι τὸν σταυρὸν, τὸ πάθος ἐπαισχύνεσθαι, τὸν θάνατον δόκησιν καλεῖν, τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν περικόπτειν . . .*

lectio fragm. p. 218 ܠܚܘܪܬܐ ܕܚܝܐ ܕܠܐ ܫܘܠܡܐ praestare videtur, quum quae sit vita invisibilis difficile sit intellectu; in textu graeco fortasse fuit *αἰωνία ζωή*. Quae denique de astro magorum dicuntur Curetonius p. 286 docte explicuit.

Quum tali modo recensio graeca quum nexu ipso tum testimoniis externis commendetur, quid praebet Syrus Curetonianus? Verba cap. XVIII. ܫܬܩܐ ܥܒܕ ܠܟܠܟܐ cum iis quae praecedunt e cap. XV. *ἵνα δι' ὧν σιγᾷ γινώσκηται* omnino non cohaerent. Deinde qui est nexus sententiarum *περίψημα κτλ.* et *ἔλαθε τὸν ἀρχ. κτλ.*? Tum quod legitur ܘܬܠܬܐ ܐܪ̈ܙܝܢ et tria mysteria quid est? Num exstat aliquid apud scriptores antiquos hac de re? Hucusque nihil prolatum est, et proferri posse omnino dubitamus. Denique quae sunt tria mysteria ܕܐܬܥܒܕܝ ... ܡܢ ܓܘ ܫܬܩܐ? Huc accedit quod codd. syr. varias exhibent lectiones, *α* et *β* omittunt ܘܫܬܩܗ, *γ* addit, quod discrimen est gravissimum. Tantus hic difficultatum numerus in Syro Curet. inest, ut hoc loco integer esse non possit. Sic igitur, ubicunque textus syriacus locos in Graeco exstantes omittit, mancus est, nexumque disrumpit[1]).

III. Epistola ad Romanos.

Pauca sub finem addantur de hac epistola, quae propter alias causas quam reliquae spuria est habita, fervidum enim illud martyrii studium haud paucis nimium est visum, ita ut homine sano sit indignum; praesertim vero id quod ecclesiam Romanam monet, ne intercedat eumque morti eripiat, ineptum videtur, quomodo enim imperatoris jusso, Ignatium damnantis, infirmus Christianorum coetus poterat resistere? Porro, quae de militibus Romanis dicit cap. III. ita sunt, ut si vera essent, Ignatius neque hanc neque alias epistolas scribere potuisset. Sed quod nobis de versione syriaca tantum est disserendum mittamus haec, locosque adeamus a Syro omissos.

Cap. VI. Syrus nihil habet nisi verba *ὁ τοκετός μοι ἐπίκειται* ܚ̈ܒܠܐ ܕܡܘܬܐ ܡܩܦܝܢ ܠܝ, quae tam abrupte sunt posita,

[1]) Cf. contra opinionem nostram, quae a Lipsio dicuntur in Niedner, Ztschft. für hist. Theol. 1856. 1, p. 129.

ut ipse Lipsius non potuit, quin locum e fragmentis restituat, neque enim cum praecedentibus, nec cum insequentibus tali modo possunt conjungi, ut nexus videatur sanus. Alia vero est res in textu graeco, postquam scriptor cap. V. explicuit, sese dirissima quaeque velle pati, ut ad Christum perveniat, pergit cap. VI. optimas quoque res mundanas sibi nihili esse, praestantissimum sibi videri mori in Christum, *τὸ ἀποθανεῖν εἰς Χριστόν*, illum se dicit quaerere, partum vero sibi instare. Versatur oppositio sententiarum in verbis *τὸ ἀποθανεῖν* et *ὁ τοκετὸς*, morte enim Christianus iterum nascitur. Respicere videtur scriptor locum act. 2, 24 ubi legitur *ὃν ὁ θεὸς ἀνέστησε λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου*. Eodem modo cap. VII. verba *ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται* cum iis quae praecedunt et quae sequuntur arcte cohaerent, quis enim non intelligit strictum nexum in verbis his: *Ζῶν γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ ἀποθανεῖν· ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόϋλον, ὕδωρ δὲ ζῶν καὶ λαλοῦν ἐν ἐμοὶ ἔσωθέν μοι λέγον· δεῦρο πρὸς τὸν πατέρα.* Quis non sentit elegantiam styli? Languidissimum contra est quod habet Syrus: ܪ̈ܚܡܬܐ ܕܝܠܝ ܨܠܝܒܐ ܗܘ ܘܠܝܬ ܒܝ ܢܘܪܐ ܒܪ̈ܚܡܬܐ ܐܚܪ̈ܢܝܬܐ. Curetonius p. 302 dicit: The mention of fire in himself by Ignatius seems to have brought its opposite element, water, into the mind of the interpolator, and to have suggested to him in this place the words of our Lord in his conversation with the woman of Samaria Joh. 4, 14, sed cur non Ignatius ipse haec verba admodum singularia potuit scribere?

In capp. VIII. et IX. verbis *ἄρτον θεοῦ θέλω κτλ. καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ θέλω πόμα, ὅ ἐστιν ἀγάπη ἄφθαρτος* Syrus adnectit statim *ἀσπάζεται ὑμᾶς τὸ ἐμὸν πνεῦμα*. Quid durius potest esse, quum res maxime diversae inter se conjungantur? Quae sequuntur ex epistola ad Trallianos non hujus loci esse, jam p. 62 demonstravimus. Sic igitur et in hac epistola recensionis graecae nexus praestat recensioni syriacae, quae ut ubique sic hic quoque est mutilata.

Epilogus.

Jam ad finem disquisitionis nostrae pervenimus, et quod primum adtinet ad epistolas graecas ab Eusebio laudatas vidimus, omnibus inesse idem genus dicendi, omnes defendere unam doctrinam. Deinde duas varias harum epistolarum distinximus versiones, quarum utraque septem epistolas continuit, tres vero epistolae, quas Curetonus edidit, et quas alii post eum genuinas habuerunt, non sunt integrae sed excerptae ex antiqua versione. Altera versio, Severiana nobis dicta, ante Arianorum tempora confecta videtur, altera vero antiquior post novi testamenti versionem simplicem debet esse composita, quod usum dicendi peschitthonianum stricte sequitur. Ambae igitur versiones saeculo post Christum tertio exaratae videntur. Praeter has vero et tertiae versionis syriacae fragmentum invenisse nobis videmur, quam epistolas ab Eusebio nondum laudatas continuisse supra conjecimus. Hae epistolae ipsae, in quibus (Antioch. 12) praeter presbyteros et diaconos subdiaconi quoque, lectores, cantores, ostiarii et *κοπιῶντες*[1]) commemorantur, quae (Philpp. 13) die dominica et sabbato jejunia vetant[2]), feria quarta et sexta autem ea jubent, in quibus (Tars. 2) haereticorum opinio profertur, Christum fuisse Deum ipsum saeculum fere tertium sive quartum produnt. Tertiae hujus versionis fragm. unum tantum attulimus, exstat tamen et aliud Curet. p. 202, l. 10, desumtum ex ep. ad Heron. 1. Locus ad Heron. est imitatio loci ad Pol. 1, discrimen vero versionis tertiae et vers. Syri Curetoniani tali modo eo melius potest perspici. Hero 1 legitur *παρακαλῶ σε ἐν χάριτι προςθεῖναι τῷ δρόμῳ σου*, quod frgm. reddit ܡܦܝܣ ܐܢܐ ܠܡܘܣܦܘ ܒܪܗܛܟ, Arm. precor addere ad cursum tuum. Inaudita vero vox ܡܦܝܣ ܐܢܐ in versione Syri Curet. pro *παρακαλεῖν*, quod apud eum est ܒܥܐ ܡܢ sequente ܕ Pol. 1, Eph. 1; in fragm. sequitur infinitivus c. ܠ; sic et Tars. 2, frgm. Curet. p. 365 *θηριομαχεῖν*, quod Syr. Curet.

[1]) Pro *κοπιῶντας*, quod versio lat. reddit laborantes restituendum fortasse est *κοπιάτας* fossores, quum inter tot numera ecclesiastica simplex *κοπιῶντας* ineptum videatur. De his fossoribus vide Neander, Kirchengesch. ed. 3. I, 2, p. 499. [2]) Cf. Tertull. de corona milit. cap. III.

reddit ܥܡ ܚܝ̈ܘܬܐ ܢܦܠܬ ܐܢܐ Rom. 5 vertit: ܥܡ ܚܝ̈ܘܬܐ ܐܬܟܬܫ, ut vrs. Severiana Trl. 10, Curet. p. 214, l. 7. Si igitur omnino e tam brevibus locis judicium fere licet, haec fragmenta ad tertiam versionem pertinere suspicamur, quam ab Armenio redditam esse tum non sine specie veritatis putari potest, vocem θηριομαχεῖν enim ut fragm. vertit „cum bestiis pugno," quamvis alio loco a fragmento recedat. Tertia haec versio tum ante Armeniacam debet scripta esse, quae saeculo quinto composita esse dicitur.

Denique quod adtinet ad formam epp. ad Pol. Eph. Romanos, vidimus eam non esse originalem, quum quod nexus in iis non est concinnus, tum quod capita in iis omissa, in fragmentis habemus, quae ad eandem pertinent versionem. Et si hoc loco respicimus, quae in illa epistolarum forma sint omissa, nihil invenimus nisi res privatas Eph. 2, 20—21, Rom. 10, Pol. 7—8, deinde quae nimis saepe repetuntur, de spe martyrii Rom. 7—9, de episcopali dignitate et de haeresibus Eph. 4—8, 16—17, ut uno dicamus verbo, ea quae scriptor βαττολογεῖ, ut ait Dallaeus. Curetonus quidem in introductione p. XLII. contendit, has epistolas, si excerptae essent, unicum hujus rei esse exemplum ante Eusebii tempora, sed hoc opprobrium in nos non cadit, quum contendamus, ante Eusebium omnes has epistolas syriace esse redditas, et hanc demum versionem esse excerptam, quod eo credibilius est, quum codices, qui tres illas praebent epistolas nihil contineant, nisi selecta patrum scripta. Ultimo denique loco quaerendum est, ad quem finem scriptor has epistolas excerpserit. Hefelius respondet in pium usum, inscriptio vero codicis Parisiensis rem accuratius definit, quum dicat Curet. p. 197 ܡ̈ܠܐ ܕܓ̈ܒܝܢ ܡܢ ܐܓܪ̈ܬܐ ܕܩܕܝܫܐ ܐܝܓܢܛܝܘܣ ܕܚܝܠܐ ܕܩܢ̈ܘܢܐ ܥܕ̈ܬܢܝܐ ܐܝܬ ܠܗܘܢ i. e. verba selecta ex epistolis sancti Ignatii, quae habent auctoritatem canonum ecclesiasticorum. Res gravissimas excerpta illa continent, ea tantum quae iterum iterumque sunt repetita desunt, sic igitur omnia in iis insunt, propter quae lectu dignae et tanti pretii hae epistolae sunt habitae, et haec est causa, propter quam tam saepe singula capita sunt selecta et transscripta.

EMENDANDA.

pag.	1	lin.	1	pro	primaeve	lege	primaevae.
„	1	„	7	„	Ingnatiana	„	Ignatiana.
„	13	„	19	„	absoluti	„	emphatici.
„	19	„	9	„	Lipsiano	„	Lipsiana.
„	33	„	29	„	diffusum	„	diffusam.
„	37	„	25	„	dicimus	„	diximus.
„	39	„	12	„	ܕܠܗܘܢ	„	ܕܐܝܬ ܠܗܘܢ.
„	40	„	30	„	ܪ̈ܘܩܐ	„	ܪ̈ܘܚܐ.
„	41	„	15	„	repondit	„	respondet.
„	42	„	6	„	Marti	„	Marte.
„	47	„	9	„	quum	„	quem.
„	52	„	3	„	verterit	„	vertit.
„	57	„	13	„	ܢܦܘܫܗܘܢ	„	ܢܦܫܗܘܢ.
„	64	„	12	„	ܐܬܦܣܩܬ	„	ܐܬܦܣܣܩܬ.
„	72	„	33	„	punitos	„	punitum.
„	77	„	10	„	qui	„	qualis.

Vratislaviae. Typis Grassii, Barthii et socii (W. Friedrich).